




# COMMENTARII

IN

# HISTORIAM GENTIS SAMARITANAE.

Juynboll, Theodoor Willem Jan, 1802-1861.

THEODORI GUILIELMI JOHANNIS JUYNBOLL

# COMMENTARII

IN

# HISTORIAM GENTIS SAMARITANAE.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

MDCCCXLVI.

---

Anno 1840 exeunte Franequerâ Groningam vocatus, Munus ibi proximo anno auspicatus sum, habitâ Oratione *de Genie samaritanâ*: quod argumentum sumseram, quia, Chronici samaritani, qui *Josuae Liber* vulgo dicitur, edendi opportunitatem nactus, in mediis Samaritanorum rebus pervestigandis tunc versabar.

In has enim inquirens, in quaestiones saepe incideram difficiliores, ante quidem a nonnullis tractatas, at dignissimas sane, in quibus alii denuo operam ponant. Quae igitur de iis observanda mihi videbantur, cum Auditoribus tunc communicavi. Quoniam vero eâ occasione, ut quisque intelligit, studiorum meorum *summas* tantum tradere poteram, in *Annotatione*, quam Orationi adderem, fusius de iisdem disserere decreveram.

Hanc Orationem, eâ Annotatione instructam, jam dudum publici juris fecissem, nisi opinatus fuissem, quod jure eo tempore exspectare licebat, *Annalibus Academicis* ipsam brevi insertum iri. Sed spem fefellit eventus! Annalium editio ecce primum differtur et procrastinatur, ac tandem abrogatur!

Interea dum suspensus sic tenebar, consilium ipse mutaveram. *Annotationem* nempe conscribens, vidi, plura quam ipse primum suspicabar, dicenda esse, ideoque eum locum, nisi permulta eorum silentio transirem, his exponendis minus esse aptum.

Nec melius ipsis convenire videbatur *Libri Josuae* editio. *Nonnullae* nimirum, non *omnes*, de quibus dicerem, Historiae samaritanae partes ibi enarrantur; ac de *illis*, quae memorantur, et de aliis quaestionibus, eum Librum spectantibus, tot monenda sunt, ut, si in ipso Libro edendo, quantum fieri possit, concinnitati consulatur, omnia omittenda sint, quae ad eum minus pertineant. Quae ergo de eâ Gente ejusque Historiâ nunc tradenda habeo, peculiari Libro complexus sum.

Haec praemonui, ut quisque, Libri fatis cognitis, animadvertat, quare ipsum non in aliam, ac meliorem fortasse, formam redegerim. Nam disputandi ordinem, quem in *Annotatione*, *Orationi* accommodatâ, secutus sum, quum tempus, universo Libro retractando necessarium, mihi deësset, retinere et intactum fere relinquere coactus eram. Nonnulla tamen uberius et enucleatius exposui, ac multa ante scriptis passim inserui.

Ante igitur, quam ad *Historiam* tradendam transibam, nonnullas de *Gente Quaestiones* praemisi. Quibus, ac sequenti *Historiae* expositioni, disquisitiones interdum interpositas esse *philologicas* potius quam *histori-*

*cas*, neminem aegre laturum esse confido, quippe quae cum Historiâ ita cohaereant, ut, qui *hanc* paulo attentius consideret, *illas* seponere nequeat.

Nec cuiquam displiceat, me, de *Samaritanorum* vicissitudinibus agentem, de *Judaeis* saepius locutum esse. Sunt scilicet in *illorum* Historiâ multae periodi obscuriores, ac longa temporum intervalla, de quibus nihil fere innotuit. Illae non melius illustrari, et hae lacunae non certius suppleri posse videbantur, quam si interruptae narrationi ea apponerentur, quae Judaeis tunc evenerint, ut Samaritanorum, quorum fata cum fatis Judaeorum arctissime connexa fuerunt, conditio iis temporibus sic quoque quodammodo cognosceretur.

De singulis, quae in universâ hac disputatione obvia sunt, quo plenius et consummatius dissererem, quaecunque mihi praesto erant, subsidia in meos usus convertere studui. In quibus quia sunt, quae hodie rarissime reperiuntur, multa, quae verbo, *ubi* legantur, indicasse, ceteroquin suffecisset, inde excerpsi, quin integros locos subinde descripsi, ut quisque, cui ad eos Libros aditus non pateat, de dictis ipse accuratius judicare posset.

In his rarioribus Opusculis, praeter Cellarii aliorumque Scripta, Munteri est, quem frustra diutissime quaesitum tandem nactus sum, Libellus *de bellis judaïcis, sub Trajano et Hadriano gestis.* Hoc in primis usus sum diligentissime, cum ad eorum bellorum Historiam, cum rebus Samaritanorum intime conjunctam, tenebris vero huc usque adeo involutam, ex Munteri animadversionibus, paucis fortasse cognitis, illustrandam; tum potissimum ad haec bella magis explicanda, ac dicta ipsius examinanda, et praesertim confirmanda, collato Libro Josuae, cujus ille non nisi fra-

gmenta quaedam, et tenuia excerpta consulere potuerat. Textum hujus Chronici arabicum hîc et alibi passim addidissem, nisi ad ipsius editionem, his jam absolutis, statim accedere statuissem.

Ceterum spero fore, ut hi Commentarii benevole excipiantur, et ii, qui idem argumentum aliquando retractaturi sint, quae hîc sine dubio desiderantur, et correctione indigent, suppleant atque emendent.

Scripsi Lugduni Batavorum ipsis Calendis Juniis anni MDCCCXLVI.

# CONSPECTUS.

---

# INTROITUS.

Res samaritanae a seculo XVII ineunte ab Europaeis explorari coeptae sunt, ab eo inde tempore nimirum, quo exempla Pentateuchi hebraeo-samaritani delata sunt in occidentem. Paulo ante Epistolarum commercium JOSEPHUS JUSTUS SCALIGER cum eâ Gente instituerat, quod a nonnullis Viris eruditis deinceps ad annum 1820, magno tamen temporis intervallo subinde intercedente, continuatum est. Hae Epistolae primum separatim typis expressae, a DE SACYO omnes uno volumine anno 1831 editae sunt, additis Epistolis, recentiori aetate conscriptis (1). Quibus quum Epistola deësset, casu quodam in Patriâ nostrâ reperta, nec ante edita, ab HAMAKERO anno 1834 haec publici juris facta est (2).

Scripta, quae post institutum illud Epistolarum commercium de Samaritanis exposuerunt, quia in sequentibus si non omnia, praecipua saltem passim occurrunt, hìc brevitatis causâ non enumeramus. Haec autem pariter atque Epistolae maximam partem in *Dogmatibus* ac *Sacris* ejus Gentis illustrandis versabantur, quâ occasione de *recentiori* atque *hodiernâ* ejusdem *conditione* vulgo disserebatur. In *Historiam* vero *samaritanam* pauci tantum inquisiverunt.

CHRISTOPHORUS CELLARIUS primus Occidentalium de hac Historiâ egit (3). Plerosque Veterum locos, ubi de Samaritanis sermo fit, collegit. De iis vero non critice exposuit,

---

(1) DE SACYUS anno 1812 in *Annales des Voyages et de la Géographie*, Tom. LII, edidit: *Mémoire sur l'état actuel des Samaritains;* anno vero 1831 in *Notices et Extraits des MSS. de la Bibl. du Roi et d'autres Bibliothèques*, Tom. XII: *Correspondance des Samaritains de Naplouse, pendant les années 1808 et suiv.*, ubi tamen *omnes Epistolae olim editae* repetitae et gallice versae sunt.

(2) *Aanmerkingen over de Samaritanen, en hunne Briefwisseling met eenige Europesche Geleerden ter gelegenheid van eenen nog onbekenden Samaritaanschen Brief;* in *Archief voor Kerkelijke Geschiedenis*, Tom. V.

(3) *Collectanea historiae Samaritanae, quibus praeter res Geographicas, tam politia hujus gentis, quam religio et res litteraria explicantur*, Cizae 1688. 4°. Quae quum ipsi non magnopere placerent, *festinantius* quippe (ut fatetur ipse in praefatione, quâ sequentem librum *Jobo Ludolfo* dicavit) *collecta*, anno 1707 edidit *Exercitationem, gentis Samaritanae historiam et caeremonias, post ejusdem auctoris* Collectanea historiae Samaritanae, *magis illustrantem*. Titulus plura promittit, quam libellus ipse praestat.

1

ac judicium saepe tulit perversum, quod tamen ob magnam eo tempore rerum samaritanarum obscuritatem non mirandum est.

Parum lucis Historiae samaritanae attulit JACOBUS BASNAGIUS (1). Diligentissimus fuit in dictis ex varii generis Scriptis colligendis, tum CELLARII, J. H. HOTTINGERI, H. RELANDI aliorumque, tum etiam ex BERNARDI *excerptis* (2) et HUNTINGTONI *Epistolis* (3). Verum quo diligentior fuit in variis locis ac testimoniis congerendis, eo minorem curam impendit iis accurate perpendendis et rebus gestis bene enarrandis. Sic autem statuentes, iniquius tamen non judicamus. Nam, omissis duro ejus de illâ Gente judicio, quod ei cum plerisque ejus aetatis Eruditis commune est, et futilibus de Pentateucho disputationibus, quae ex Disciplinae eo tempore conditione item explicentur, summam modo attendatis negligentiam, quae passim occurrit, in rebus tractandis; disquisitiones deinde inanes interdum ac saepe falsas; ineptam porro repetitionem, quae fastidium creat, alia.

CELLARIUM omnes sequebantur, qui postea, et brevissime quidem, de Samaritanorum Historia locuti sunt. In his FREDERICUS UHLEMANNUS (4).

Historia hujus Populi, a paucis igitur hodie usque explicata, dignissima tamen est, quae melius cognoscatur. Plerisque tamen minoris id momenti visum est, quia sive Gentem ii fere ignorabant, sive, si ejusdem fata universe novissent, de Gente inique judicabant. Auctoritatem scilicet secuti *Judaeorum*, quibus acriores hostes Samaritani habuerunt nullos, eam Gentem multi sibi fingebant non modo *variorum* populorum *colluvionem*, sed *hanc* ex *vilissima* eorum *plebe* compositam, gentem ergo abjectam omnique primigenio charactere carentem, in cultu recipiendo fluctuantem perpetuo, in eoque eligendo solum lucrum ac privata commoda spectantem. Samaritani igitur ab iis *Haeretici* nuncupabantur, qui a Judaeis omnia mutuati essent, quique solo fere odio inveterato tantum ab his essent diversi; quibus enim nihil privi esset praeter Locum sacrum et Codicem deditâ operâ corruptum, et quorum Annales ne lectu quidem digni essent, inutili quippe minutiarum fabularumque farragine onerati.

Haec et si vera essent, omnis tamen vel de *istiusmodi* populo disquisitio minime omittenda. Is enim, si et sic de eo judicetur, suum etiam locum in Historiâ Gentium tenet. Multoque minus ita judicare nobis licet, quia constat, dicta illa, si quid veri iis insit,

---

(1) In Opere, quo Judaeorum Historiam, a Flavio Josepho conscriptam, continuavit: *l'Histoire et la Religion des Juifs*, IV Voll. Rotterd. 1707. Ex ed. 2a hujus Operis (Hagae Comitum 1716) facta est Versio Neerlandica (conf. haec Versio I, p. 253, 258) titulo: *Vervolg op Flavius Josephus*, II Voll. fol. Amst. 1726, ubi libro secundo (I. p. 185 seqq.) copiosa de Samaritanis disputatio continetur.

(2) In *Actis Eruditorum Lipsiensibus* anni 1691, p. 167 seqq.

(3) HUNTINGTONI *Epistolae Lond.* 1704. 8°.

(4) *Institutiones linguae Samaritanae*, Lips. 1837, 8°. p. IX seqq.

maximam partem sive in majus aucta, sive prorsus falsa esse. Etenim si majorem et praecipuam, quâ Gens samaritana composita fuit, partem attendis, Samaritani posteri sunt Israëlitarum, qui, Regno ephraïmitico everso, et Samariâ ab Assyriis expugnatâ, in Palaestinâ relinquebantur, quapropter si quis alius, hic Populus inprimis nonnihil conferre potest ad res *veterum Hebraeorum* illustrandas. Hae scilicet si ex solis *Judaeorum* Scriptis, ut vulgo, indagantur, ipsarum cognitio ut manca sit et imperfecta, necesse est. Nec multum haec indagatio sane differt ab ejus studiis, qui ut integram Gentis nostrae universae imaginem sibi informet, solas Provincias septentrionales, solasve meridionales consideret. Si quando *altera pars audienda* sit, haec potissimum consulatur, ubi de Gentibus agitur, quae in duas partes scissae sunt. Harum res nimirum *ante scissionem* gestae non modo invicem sese illustrant, sed etiam *quae postea ab utrâque Gente seorsim geruntur*, ante facta magis explicant saepissime, ac penitius in interiorem totius Gentis quondam conjunctae notitiam nos insinuant. Namque omnia communis originis indicia ne secula quidem delent; ea vero, quibus differunt, post scissionem praesertim manifestissima fiunt, et priva singularum partium studia et indoles, quae scissionem antea pararunt, et deinde majoris in dies differentiae causae sunt, tunc maxime enucleantur, quum quaeque pars separatim ipsa agit, nec eam amplius, quam ante, efficaciam in se invicem exserit.

Quae cum ita sint, profecto dolendum est, fontium apparatum, quo pleniorem de Samaritanis notitiam accipiamus, adeo exiguum esse. *Samaritanorum* Annales pauci sunt, et recentiores, adeoque, si quis antiquiorem Gentis conditionem ex iis illustrare velit, summâ cum prudentiâ hos consulat. *Judaei* etiam in Scriptis suis de Samaritanis raro loquuntur, eorumque dicta, ét quia summâ *ἀκρισίᾳ* vulgo laborant, ét ob praejudicatas eorum de illâ Gente opiniones, caute item adhibeantur. Sunt tamen praeter hos fontes et *tenues aliorum Populorum* de Samaritanis *relationes*, alia hujus Gentis melius cognoscendae subsidia. Unum est, idque egregium, nec satis hodie usque exploratum, et quod luculenter ostendit Samaritanos *hebraeae originis* esse; *Linguam* puto. Alter fons est *Religio* cum *notionibus* de *Rebus divinis*, ex quibus apparet, quam varie hebraeae Gentis ingenium temporis decursu sese explicuerit.

Utrumque argumentum, tum prius sive *linguisticum*, tum posterius, quod in *Religione* versatur, separatim exponi meretur. *Hoc* tamen prorsus transire hìc non licet, quia religio plerumque cardo est, in quo Historia samaritana vertitur, et sequens historica disputatio ideo cum eâ quaestione arcte cohaeret. Itaque, omissâ tamen *Dogmatum* expositione, quam in aliud tempus refero, de Cultu Samaritanorum in universum nonnulla nunc monebo, quae ad sequentia melius intelligenda viam muniant.

Si quis de Samaritanis loquitur, *Gentem* plerique sibi fingunt *Cultui mosaico addictam. Sectam* hi ob oculos habent, cujus tenues reliquiae inter accolas Montis garizimitani nunc

tantummodo supersunt; iidemque simul opinantur, eosdem hujus *Sectae* ritus et eadem placita, *Gentis* item *samaritanae universae* sacra et religionis doctrinam fuisse per multa secula, a condito saltem Templo garizimitano. Quod qui probent, ejus Gentis neque Historiam consulunt, variasque et posteriores maxime vicissitudines minime perpendunt. Hae enim eum exitum habuerunt, ut Samaritani, non vero Judaei, inter Gentes tandem fere absorpti sint; quod quare non *his*, sed *illis* evenerit, illâ opinione servatâ, aenigma esse videtur, probabili ratione vix solvendum.

*Judaei* scilicet, iique innumeri, per orbem terrarum licet dissipati, supersunt, quia praeter antiquiora instituta, recentiora etiam habent, quibus cavebatur, ne cum Gentibus, in quibus mediis viverent, conjungerentur; et haec omnia illi tam diligenter observarunt, ut ab his semper distincti manserint. *Samaritanorum* contra *major pars* pàtriam non reliquit, ibique cladibus quidem affecta est, non vero tam gravibus, ut *universa* gens iis exstirpata sit. Nihilominus tamen ipsius vestigia penitus fere deleta sunt. Ex clade igitur superstites ubi remanserunt? — Hi sine dubio cum aliis Gentibus, hanc terram expugnantibus, maximam partem commixti sunt. Sed hi quomodo cum iisdem se conjungere potuerunt, si statuitur *totam* Gentem *per longam* seculorum seriem ritus et placita Pentateuchi observasse, et omne cum iis commercium studiose evitasse? Num credibile est, gentem antiquorum institutorum *adeo tenacem*, *iisque tamdiu assuefactam*, ea tamen repudiasse tandem, eorumque prorsus oblitam esse, quin, Gente adhuc florente, sivisse, ut, quod Historia testatur, Ethnicorum Cultus diutissime in patriâ suâ vigeret.

Non aliâ ratione haec quaestio solvi posse videtur, nisi quum vulgarem de Samaritanis opinionem mittimus, et veriorem amplectimur sententiam, non modo aliorum populorum contemplatione probatam, sed Historiâ hujus etiam Gentis confirmatam.

Seposito ergo vulgari isto errore, hoc in primis teneamus, Samaritanos *posteros* fuisse *decem Tribuum*, quibus Regnum israëliticum constitit. De iis autem ut recte statuamus, in primis attendantur Gentis hebraeae *Tribus septentrionales*, et *studia*, quibus hae ferebantur, a studiis Tribuum Palaestinam *meridionalem* incolentium, diversa.

De septentrionalibus iis Tribubus quo melius judicemus, primum de Tribubus loquamur *meridionalibus* sive *judaïcis*, quo nomine has item nuncupare licet, quia primum Regnum judaïcum, et deinde Resp. judaïca per harum Tribuum terras extendebatur. Inter has Tribus simplicior puriorque, quam inter septentrionales, Cultus mosaïci (1) for-

(1) De *mosaïco* Cultu loquens, formas tamen hujus Cultûs antiquiores et recentiores distinguo. Ut multi jamdudum agnoverunt, *Mosis* praecepta in singulis sine dubio minus erant definita, quam instituta posterioris aevi. Horum autem praeceptorum, tum antiquiorum tum recentiorum *nonnulla* (nam *plura* olim exstiterunt), in Pentateucho collecta sunt. Ea nimirum, quae temporis decursu magis definita sunt, *Moses*, si *pauca* fortasse excipias, *non mutavit*, sed *alii post eum viventes*, ut prisca pro temporum ratio-

ma vigebat, cujus rei causa minus frequens erat earum cum Gentibus commercium. Tribus mediam et meridionalem Palaestinam tenentes, et tractus ibi habitantes montanos, vitam agebant magis solitariam, quam reliquae. Peregrini rarius eas adibant, Gentisque Sacrarium, ibi in loco tutiore positum, hae Tribus in suâ terrâ servabant. Hîc ergo Cultus mosaïci sedes erat, eumque multi etiam semper sequebantur. Haud pauci tamen, a Gentium commercio non ita seclusi, et a Davidis inde imperio huic crebro expositi, Gentiumque sensu sic magis magisque paulatim imbuti, eum Cultum sive cum Gentium sacris conjungebant, sive abnegabant prorsus, ejusque loco unum Idolorum Cultum amplectebantur (1). His Idolorum cultoribus, iisque syncretismi amicis perpetuo se opponebant Viri quique perspicaciores, id agentes, ut Cultum mosaïcum tuerentur, eumque, ét priscis institutis pro temporum ratione reformandis, ét antiquis legibus supplendis et emendandis suae aetati accommodarent. Idem studebant Prophetae. Hi tamen *externam* Cultus formam minus curabant, quam religionem *internam*. Ferociores de Deo Rebusque divinis notiones pellentes, humanioremque doctrinam et vero sublimia placita tradentes, mentem ii Gentis illustrare, piisque sensibus excitandis, animum emendare studebant.

Res sacra, ab *illis* Sapientibus sensim sic emendata, *hisce* Prophetis praesertim auctoribus a pluribus in dies Judaeis probata est, praecipue a Josiae inde aetate. Deinde desiderium Cultus mosaïci, quo in Exsilio babylonico carebant, ipsius amorem ita auxit, ut permulti ex captivitate redeuntes, missâ Idololatriâ, huic Cultui studiose addicti essent.

---

nibus supplerent et emendarent, necessitate coacti induxerunt. Et hoc prorsus convenit naturae ingenii humani, quod ut in aliis rebus, ita in sacris etiam, formis externis *semper stabilibus* contentum esse nequit. Vidd. quae eà de re monuit C. von Lengerke *Kenáan* I., p. 452 seqq. et passim.

Cultus ille a Mose conditus, quomodo in Palaestinâ cum Canaanitarum sacris conjunctus, et quam misere in plerisque ejus regionis tractibus corruptus fuerit, ex Libris novimus historicis V. T., ex Libris praesertim Judicum, Samuëlis et Regum. *Qualis* autem singulis, quibus veterum Hebraeorum resp. supererat, temporibus Cultus hujus conditio fuerit, sive etiam quid Samuël, Davides et Salomo in eo excolendo et exhilarando egerint, quid deinceps Prophetae fecerint ad novam periodum praeparandam, quidve Hebraeorum cum vicinis et remotioribus Gentibus commercium, ac principatus Assyriorum, Chaldaeorum, Persarum, multorumque Hebraeorum exsilium effecerint ad notiones de Rebus divinis paulatim jam enucleatas, magis etiam magisque explicandas, — haec indagare hujus loci non est. Multa, quae hanc quaestionem quodammodo jam illustrant, tum alii in medium contulerunt, tum etiam E. Bertheau in Libro: *zur Geschichte der Israëliten zwei Abhandlungen*, Gött. 1842, ubi inspiciatur posterior dissertatio, cui titulus est: *die Bewohner Palästinas seit den ältesten Zeiten bis auf die Zerstörung Jerusalems durch die Römer*, ibid. p. 117 seqq.). Somnia omittimus G. F. Daumeri (*Der Feuer- und Molochdienst der alten Hebräer*, Braunschw. 1842), merito derisa a Meier in *Stud. u. Krit.* 1843. 4 heft; tum etiam multa temere dicta a F. W. Ghillany in Libro: *die Menschenopfer der alten Hebräer*, Nurnb. 1842.

(1) Bertheau l. l. p. 293 seq., 302 seqq.

Idolorum autem Cultu tunc licet publice abrogato, studium tamen Mosaismi cum Gentium opinionibus et institutis copulandi in omnium animis nondum exstirpatum erat. In hos item ZERUBBABEL, EZRA et NEHEMJA invecti sunt, nec tamen ipsorum fervor eos coercere potuit. Minime enim suffecit horum Virorum auctoritas, ut matrimonia cum Exteris, ne commercium dicam cum iis, prohiberentur. Quae quomodo studium istud promoverint, quisque intelligit. His igitur aliisque rebus ex mutatâ temporum ratione ortis, praesertim v. c. Graecorum Cultu per Asiam propagato, factum est, ut ejus syncretismi fautores ét numero ét dignitate augerentur. Certamen, quod hos inter et Mosaïsmi severioris socios semper fuerat, acerbissimum tunc et gravissimum evasit, quum illi, publicâ auctoritate muniti, graeca sacra cum mosaïcis conjunxissent. Huic certamini ne Maccabaeorum arma finem imposuerunt. Tum *illi* victi et inferiores facti, non vero fracti, nec letali clade affecti sunt. Brevi nempe hocce Mosaïsmi ex Gentium opinionibus et institutis exornandi et consummandi studium novos denuo animos cepit, et duplici modo maxime manifestum se reddidit. Severioris nimirum Mosaïsmi patronis, qui antiquis formis adhaerebant, et *Sadducaeorum*, id est *justorum* titulo semet ipsi ornabant, opposuerunt se rerum asiaticarum graecarumque studiosi. Ab iis populis hi rerum nonnullarum notiones magis excultas, et nova instituta mutuari et Mosaïsmo addere haud verebantur. Hos rerum asiaticarum amicos Sadducaei nuncuparunt *Pharisaeos*, id est *separatos*, quia hos ex suâ communione excludendos esse censebant. Ii quibus *graecae* maxime opiniones placebant, *Hellenistarum* nomine noti, quos, ut aliorum verbis utamur, qui Sadducaeorum studium *judaico-palaestinense*, et Pharisaeorum *judaïco-babylonicum* appellant, *judaïco-graeci* studii socios nuncupare licet.

Quid singuli egerint, quasve turbas Sadducaei maxime et Pharisaei moverint, et quis certaminis fuerit exitus, praetermitto, hoc tantum observans, principatum in Palaestinâ tandem obtinuisse Pharisaeos, in Aegypto et in Judaeorum Coetibus per Regnum romanum Hellenistas.

Haec de Tribubus meridionalibus, sive judaicis sufficiant. Quarum alios quum Idololatriae olim, alios vero semper studio deditos videmus Mosaïsmum cum Gentium *sacris* primum, deinde cum ipsarum *opinionibus institutisve* copulandi, quid quaeso exspectemus Samaritanos fecisse, eorumque Proavos, Tribus septentrionales, quibus deërant egregiae, quae meridionalibus contigerant, hujus Cultûs a corruptione integre servandi opportunitates? Itaque profecto non mirum est, septentrionales pariter ét in Idolorum Cultum incidisse, ét vero istius syncretismi studio ductas fuisse. Quae res verbo hic exponatur.

Studia, quae diximus, in meridionalibus conspicua, in Tribubus septentrionalibus (1) etiam manifesta sunt, sed ob locorum, quae ab his habitabantur, situm et conditionem,

(1) De *his* Tribubus vid. BERTHEAU l. l. p. 327 seqq.

ob diversam porro, quae his ideo cum Gentibus intercessit, necessitudinem, variasque praeterea rerum vicissitudines, ad alium eventum duxerunt. Canaanitarum multo plures quam in Palaestinâ meridionali, in illarum terrâ remanserant. Phoenicibus hae Tribus erant vicinae, quorum mercatura latissime diu patebat. Vallem eaedem Tribus tenebant Esdrelonensem, per quam via erat catervarum, ex Oriente in Occidentem tendentium. Commercium ergo cum Exteris evitare ipsae non poterant. Exterorum sacra quotidie conspiciebant, eorumque moribus ita assuefiebant, ut hos ultro imitarentur, ac se resque suas iis non accommodare non possent. Multi igitur vel inviti ad Gentium sacra petenda seducebantur, iisque qui Cultum patrium non missum faciebant, huic tamen aliena, ex istis sacris oriunda, admiscebant. Hinc factum est, ut alia ibi Cultus mosaïci forma, a Patribus jam accepta, stabiliretur, quâ Jahvè *bovis* imagine colebatur. Urbs *Dan* hujus Cultus sedes erat primaria. Hic, si sub Davidis et Salomonis imperio ibi abrogaretur, non tamen in oblivionem abiit. Jarobamus hunc ét ibidem novo cum splendore restituit, ét *Bethele* sancivit, tamque firmiter fundavit, ut principatum in Regno ephraïmitico idem obtinuerit ad Regnum usque ab Assyriis eversum. Tamque tenaciter per hoc tempus major Gentis pars ei adhaesit, ut irritum esset Achabi consilium hunc Cultum cum Phoenicum sacris permutandi.

Nec feliciore eventu eam ob causam fruebantur ibi Prophetarum conatus. Hi, Cultus quippe mosaïci incorrupti vindices, et emendatioris doctrinae religionis nuncii, severique morum magistri, non audiebantur, sed irridebantur, recedere cogebantur, aut expellebantur.

Ad Josiae aetatem Cultus iste Bethele viguit. Ab Assyriis nempe ibi restitutus, a Josiâ vero, aram perdente, iterum turbatus, temporis decursu prorsus sublatus esse videtur. Nam credibile est hujus Cultûs socios, apto fortasse carentes sacrario et sacerdotio, partim ad Gentium sacra transiisse, partim sententiam eorum probasse Judaeorum, qui cum genuinâ Cultûs formâ, Mosaïsmum profitebantur, cum nullis alienis complementis commixtum.

In alterutram partem civium nempe Regni ephraïmitici posteri, sive Samaritani, abierunt. Gentium Cultui inter eos promovendo multae causae favebant: tum *externa* ipsorum corrupta Cultûs mosaïci ratio, quae talis erat, ut inde ad Gentium sacra facilior, quam in Cultu judaïco, esset transitus; tum arcta etiam eorumdem cum exteris Colonis, in Palaestinam translatis, necessitudo, hoc efficiens, ut cum Colonorum sacris sua connecterent, et ad suam eos societatem ducerent. Postea hocce studium sine dubio nutrivit frequens cum *Exteris* in *aliis* regionibus, et vero in primis cum multis, qui deinceps in Palaestinam aliunde migrarunt, commercium.

Primum enim Persarum, mox Graecorum et Romanorum, moribus institutisque ac sacris

ita se accommodarunt, ut ab ipsis in posterum vix possent distingui. Haec fecerit *major* Gentis Samaritanae *pars*, quae, interiore cum Exteris necessitudine sic contractâ, privum Gentis characterem primum depravavit, mox penitus perdidit, eâque notâ amissâ, cum aliis Gentibus ipsa coaluit, ac interitum sibi paravit.

*Minor pars* avitae religioni adhaesit, cujus amore qui imbuti erant, hanc eo acrius tueri conabantur, quo vehementius alii Samaritani in Exterorum sacra ruebant. Religionem autem quum Proavorum more profiteri amplius non possent, ad Judaeorum rationes ii se accommodarunt. Quos enim alios hi adire poterant? Hos tamen non *sola necessitas* coëgit, ut Judaeorum vestigia premerent. Nonnullos ante jam moverint *graves temporum calamitates*, in quibus si Jahves judicia sibi conspicere viderentur, a Prophetis, Ejusdem Ministris, olim nunciata, hi Hizqiae et Josiae monitis excitati, Hiërosolyma tamquam adorationis locum jam elegerint. Accedebat *alia* insuper *opportunitas*, iis postea oblata, quae aliis haud paucis idem suaserit. Multi nempe Judaei post reditum ex captivitate in Samaritidem migrarunt, multique etiam Judaei ex Judaeâ profugi, exsules ibi degerunt. Horum consuetudine fruentes, Samaritani judaïcis item sacris assuefacti sunt, iisque melius jam cognitis, aversio ipsis paulatim superata sit. Judaeis igitur hi primum usi sunt magistris. Nam de Reformatoribus, antiquioribus illis temporibus inter ipsos Samaritanos prodeuntibus, alibi nulla fit mentio, eosque tunc exstitisse, haud verosimile est.

Hi *judaïcorum* sacrorum socii, initio pauci, in dies frequentiores facti sunt, praesertim post Templum in Monte garizimitano conditum, et Maccabaeorum in primis tempore, quum religionis propagandae ardor inter Samaritanos quoque, ut apud Judaeos, expergefactus esset. In *urbibus* nonnullis majoribus, tam palaestinensibus, quam exteris, ii postea, privo quippe Cultu assumto, haud secus atque Judaei, suos Coetus et Synagogas nacti sunt. *Rure* potissimum per Palaestinam *mediam* acerrimos hi causae suae vindices habebant, iique per multa secula ibi adfuerunt. Hi maxime bellis se immiscuerunt contra Romanos saepius susceptis, ac Leges severae a Romanis, in primis ab Imperatoribus christianis promulgatae, ad eos praesertim coercendos latae sunt.

Vis ergo tantum eos fregit. Alii enim tunc patriâ pulsi, alii caesi, alii ad christianam Religionem profitendam, sive potius simulandam, coacti sunt. Hi igitur eorum Samaritanorum exemplum sequi videbantur, qui, praeëuntibus Proavis, Dominantium institutis se accommodantibus, jam dudum ad christianam societatem ante transierant. Verum neque horum, neque illorum, vi coactorum, Posteros christiana Ecclesia perpetuos deinde socios habuit. Verosimile est, hos Samaritanos christianos Islamismum professos esse, quum Moslimi Palaestinam expugnassent. Quo facto multi quidem superfuerunt, qui sacra *mosaïca* non abrogabant, at ipsorum numerus bellis variisque afflictionibus postea magis magisque imminutus est.

Quo melius autem de Samaritanis *judaïzantibus* judicetur, tenendum est, hos eum olim assumsisse sacrorum institutorumque judaïcorum apparatum, doctrinaeque eum complexum, qui eo tempore, quo haec sua fecerint, inter ipsos Judaeos ferrentur, et usitati essent. Itaque Pentateuchum receperunt; Libros vero, postea Canoni additos, institutaque et placita, recentiori memoriâ sancita, eodem fere studio ducti, quo Sadducaei inter Judaeos, Samaritani adoptare noluerunt. Religiosissime hi ea servarunt, quae Templo samaritano condito, inter Judaeos vigerent. Condito hoc Sacrario, Cultus mosaïcus apud eos certam quamdam et fixam formam accepit. Scissio Samaritanos inter et Judaeos tunc consummata, et simultas adeo inflammata est, ut major Samaritanorum pars nulla amplius *per longum tempus* a Judaeis mutuaretur.

Minime enim istud odium implacabile Samaritanos *perpetuo* deinde retinuit, quominus meliora a Judaeis oriunda, probarent, atque ipsorum traditiones et placita, quae Samaritanismo non inimica essent, in suos usus converterent. Attendamus modo traditiones in Chronicis samaritanis obvias, per quas, samaritano licet colore suffuses, origo judaïca pellucet. Similiter Dogmata quaedam judaïca primum a Viris samaritanis perspicacioribus commendata, temporis decursu a pluribus in dies probata esse videntur, eaque tandem professi sunt omnes. Nec *Judaeorum* modo, sed etiam aliqua *Christianorum* et *Moslimorum* fuerit efficacia in doctrinam Religionis samaritanae excolendam. Falluntur ergo, qui putent, omnia antiquiorum et recentiorum Samaritanorum Dogmata eadem semper mansisse. Ex dissensu variorum haec enumerantium Scriptorum, quorum testimonia, si vel vim iis inferas, in concordiam redigi nequeunt, contrarium jam efficeres. Idque confirmatur etiam ipsorum Samaritanorum dictis, quae in Chronicis iis, et Carminibus passim leguntur. Haec vero nunc acu tetigisse sufficiat, quia Gentis *vicissitudines* illustrare hîc nobis proposuimus.

Ex dictis videmus, operae pretium esse, si in samaritanam Gentem oculos convertimus. Hanc ergo jam attentius intueamur, et ea, de quibus jam obiter disputavimus, sigillatim exponamus. Primum accedimus ad *Quaestiones*, quae *Gentem universam* spectant; deinde ad *Gentis Historiam* pergamus.



2

# I.

# QUAESTIONES

## DE GENTE SAMARITANA.

### §. 1.

### *Gentis samaritanae Nomina.*

Initium facimus a *Nominibus*, quae Gens samaritana olim gesserit, hodieque gerit.

Graece, ut notum est, Samaritani dicuntur *Σαμαρεῖται*, et *Σαμαρεῖς*. Illud latine receptum est, ubi ex scriptione *Samaritae* formarunt vulgo usitatum nomen *Samaritanorum*. Graeca nomina ex *hebraïcâ* formâ fluxerunt. Hebraïce enim non modo dicti sunt שֹׁמְרֹנִים (1), a nomine שֹׁמְרוֹן, Chaldaïce שָׁמְרַיִן (2), quo designatur et *urbs* Samariae, et *universa terra* (3), sed etiam vocati sint שָׁמְרִים, sive cum flexione Chaldaïcâ שָׁמְרִין, quae forma erta est ex שָׁמְרַיִן, ut מִצְרִים ex מִצְרַיִם. *Haec* forma, quia usu trita erat, ab Exteris recepta est. Hanc vero ipsi Samaritani temporis decursu explicare coeperunt *custodes*, contendentes hoc nomen sibi jure competere, sive *Terrae* rationem habeas, sive *Legis divinae*, eoque titulo in *Epistolis* gloriabantur, et, quod hujus interpretationis antiquitatem probat, jam *aetate Epiphanii et Hiëronymi* utebantur (4).

*Hebraeorum* nomine Samaritani etiam suam Gentem appellant (5), sed nullum carius iis est nomine *Israëlitarum*, quod ab iis, pariter atque a Judaeis, plerumque usitatur, ut in Epistolis (6), et passim in Libro Josuae. Eos Josephi aetate jam professos esse, se ex *Ephraïmitis* et *Manassitis* oriundos esse, is diserte testatus est (7), idque

---

(1) 2 Reg. XVII. 29.   (2) Ezr. IV. 10, 17.

(3) 1 Reg. XIII. 32; 2 Reg. XVII. 24, 26; XXIII. 19; Jer. XXXI. 5, et Hos. VIII. 5, 6. Loquendi usus, quo *Samariae* nomen de *universâ terrâ* usitabatur, sola causa est, quare hujus regionis incolae *Samaritani* dicti sint. Hoc nomen *latiore* sensu fortasse usu jam tritum erat ante Regnum 10 Tribuum eversum. Ut ergo ea regio a *metropoli* nomen accepit, ita contra Aegypti et Syriae metropolin Arabes a *regione* nuncuparunt, *illius* Caput مصر, *hujus* vero الشام vocantes.

(4) Conf. Epiph. *de Haeres.* I, Haeres. IX, ed. Petav. p. 24; Hieron. in *Comment. in Amos.* IV, et *Epitaph. Paullae*, c. VI; Sulpic. Sever. *Hist. Sacr.* I, 49; quos locos descripsit Cellarius in *Collect.* p. 1 et 2, et *Exercit.* p. 4, 5.

(5) Cellar. *Exercit.* p. 4.   (6) Hamak. l. supra l. p. 4, 5.   (7) Antt. XI. 8. 6.

tum ex N. T. (1) et dictis Justini Martyris, qui ipse Neapolitanus erat (2), tum etiam ex aliis locis (3), ac testimoniis in Epistolis obviis (4), confirmatur.

Hocce *Israëlitarum* nomen Samaritani a Judaeis mutuati esse vulgo censentur: quae tamen opinio non omni dubio superior est. Scissâ enim Gente, Regnum septentrionale ab ipsis Judaeorum Scriptoribus nuncupatur ישראל (5), quin veteres etiam Prophetae, qui eo nomine saepius *omnes Jaqobi posteros* complectebantur, eumdem loquendi usum interdum sequuntur. Judaei contra nomen illud de *solâ Gente judaïcâ* post reditum ex captivitate demum usitari coeperunt. Itaque non sine causâ quaerimus, utra sententia probabilior sit, samaritanam Gentem, quae civibus Regni israëlitici maximam partem constiterit, nomen a Proavis receptum servasse, an vero Gentis nomen ita tritum, ac seculorum usu sancitum, et vero ab aemulis Judaeis probatum, in ipsâ Gente primum oblivioni traditum, ac postea demum, inimicorum acerbissimorum exemplo iterum receptum esse? Illud si statuitur, difficultates superesse fatemur. Objicitur scilicet v. c., non verosimile esse Judaeos, Samaritanos odio acerrimo prosequentes, hocce nomen, si ii id semper usitaverint, sibi sumsisse, et de suâ Gente ita adhibuisse, ut nullum titulum ei anteponant. Verum teneatur, nomen hocce Judaeis etiam sacrum esse, arctissimeque cum antiquis traditionibus de Gentis originibus conjunctum, ita ut odium istud eos incitare non potuerit ad illud abrogandum. — Deinde concedo, ejus nominis *inter Samaritanos eorumque Proavos* usum ad reditum Judaeorum ex captivitate, diuque post ipsum hocce tempus, nos persequi non posse. Sed omnes norunt, nulla ipsorum Samaritanorum Scripta ex tempore adeo remoto superesse. Quid porro judicandum sit de locis, ubi Samaritani *se Exteros esse*, profiteantur, infra videbimus. Ac similiter de *Cuthaeorum* nomine ibi dicemus, quo Samaritani se nuncupari indigne ferunt. *Vocant*, sic ad SCALIGERUM iidem scripserunt, *nos* (Judaei) *Cuthaeos, sed verbis suis mentiuntur.*

---

(1) Joh. IV. 12.

(2) Apol. I. (ed. THIRLBII, Lond. 1722. Fol. p. 78) *τότε* ait, *'Ιουδαϊκὸν καὶ Σαμαρειτικὸν φῦλον 'Ισραὴλ καὶ οἶκος 'Ιακὼβ κέκληνται.*

(3) V. c. HEGESIPPI ap. EUSEB. IV. 22; CHRYSOSTOMI ad Joh. IV; AMMONII in *Catena Patr.* in Joh. IV; BENJ. TUDEL. p. 39; et ABU 'L-HASANI *refutatio Judaeorum, qui Samaritanos non esse Israëlitas dicunt*, in Opere ejus, descripto a NICOLL in *Bibl. Bodl. Codd. Mss. orient. catal.* p. 3. Hos locos collegit E. W. HENGSTENBERG, *die Authentie des Pentat.* I Bd. p. 5.

(4) In Epistolis perhibent, *ex filiis Josephi Justi*, et *ex filiis Levii* se oriundos esse; vid. CELLAR. *Collect.* p. 19, et EICHH. *Repert.* IX, p. 30 et 34.

(5) Vidd. 2 Sam. II. 9, 10, 17, 28; III. 10, 17; XIX. 40—43 cet. Observatu etiam dignum est, Jaqobum in libro Geneseos, ubi ipsius nomen cum *Josephi* ejusque *filiorum* mentione conjungitur, ישראל vocari, quod luculenter ostendit nexum, quem veteres Hebraei inter haec nomina statuerint.

§. 2.

*Major Gentis samaritanae pars civibus constitit Regni ephraïmitici. — Dubiis quibusdam respondetur.*

Haec de *Nominibus*. Ad disquisitionem progredimur de *Gentis originibus*, ut probemus, quod ante sumsimus, *majorem Gentis samaritanae partem civibus constitisse Regni ephraïmitici*.

Primum dubiis quibusdam Hengstenbergii respondeamus, statuentis, *Samaritanos Gentem esse ex variis populis exteris compositam* (1).

Sententiam, quam nos defendimus, niti potissimum Henstenbergius contendit *recentiorum* Samaritanorum, *se Israëlitas esse* profitentium, testimonio. Verum Eruditos hocce testimonium tantummodo *excitavit*, ut in Gentis origines accuratius inquirerent, quo facto viderunt, variis argumentis illud probari posse. Ac fallitur H. existimans, *recentiores* Samaritanos id demum significasse. Invitus ipse jam (p. 28) contrarium fatetur, vere observans, odium, quo Judaei Samaritanos ab antiquissimis inde temporibus persequebantur, magis etiam excitatum esse ideo, quod Samaritani jus in sacrorum communionem sibi vindicabant, *quoniam se item Dei populi partem esse censebant*. Sed de iis tantum locis (2) hic agamus, quibus H. utitur, ut demonstret, Samaritanos *idem negasse*.

Ex his primum jam apparet, eos hoc *negantes*, *ab aliis Hebraeos antiquitus* habitos esse, tum etiam *antea* eosdem id saepius *affirmasse*. Praeterea in locis iis loquuntur *Cultûs graeci patroni*, qui a Cultu judaïco abhorrentes, ab omni etiam cum Judaeis necessitudine erant aversi. — H. porro ut probet, recentioribus Samaritanis nullam fidem habendam esse, locum citat Ezr. IV. 9, 10, ubi Samaritani *se exteros esse*, ultro agnoscant. Ipse tamen jam perspexit, quam inepta *ibi* fuisset mentio *affinitatis* cum Gente, quam atro carbone notant. Deinde, si vel sumas, epistolam l. l. insertam, authenticam esse, tenendum est, non solos Israëlitas, sed *exteros* in Palaestinâ degentes, atque *hos* praesertim, eam misisse. — Affertur etiam Ezr. IV. 2, ubi Judaeorum adversarii gloriantur, se a regno inde Azarhaddonis *eumdem cum Judaeis* cultum celebrasse, de *communi* vero *origine* silent. At, si ponis, *iisdem*, quae ibi leguntur, verbis eos usos esse, vides ibi etiam verba facere *Colonos*, principes terrae incolas, reliquos parum curantes, atque illos, *aliunde advectos*, *cultûs* quidem, non vero *originis* communionem prae se ferre posse. — Judaei etiam, sic noster pergit, Samaritanos *peregrinos* esse clamant, idque ab eo probatur, tum ex locis N. T., ubi hoc sive manifesto, sive obscure

(1) *Die Authentie des Pent.* I Bd., p. 3—28.

(2) Joseph. *Antt.* IX. 14. 3; XI. 8. 6; XII. 5. 5; coll. 2 Macc. VI. 2.

significant (1), tum ex multis veterum Christianorum dictis, qui Judaeorum auctoritatem sequuntur. Sed istiusmodi sermones quis a Judaeis non exspectet de gente, quam, Regno ephraïmitico florente, aemulatio et invidia, deinde consociatio cum *exteris* Colonis, odiumque postea in dies vehementius, exosam ipsis reddiderunt? — Gentis samaritanae ingenium ad mendacia adeo proclive fuisse porro dicit H., ut haec nullâ in rê fide digna sit! Pentateuchum concedimus nonnullis locis a Samaritanis deditâ operâ mutatum, historiam in Annalibus ipsorum miris fabulis exornatam, eorumque fraudes haud raras esse. Quis vero propterea, omnia quae gens dixerit, in dubium vocet? Fraudesne et fabulas aniles ii cum aliis gentibus quam plurimis, minus excultis praesertim, habent communes? et Pentateuchus num *sine ullâ mutatione* ab iis recipi posset? Quae denique de *moribus corruptis* a nonnullis itineratoribus feruntur, aliorum dictis similiter refutantur (2).

Israëlitas inter Samaritanos non superfuisse, duobus insuper argumentis H. demonstrare conatus est: alterum ex *faciei lineamentis hodiernorum Samaritanorum* duxit, alterum ex *Prophetarum Libris*. Illud nuper confirmavit Robinsonus (3), animadvertens, samaritanae faciei lineamenta non judaïca esse, neque etiam lineamenta referre aliorum, qui hodie in Palaestinâ degunt, indigenarum! Haec vero *non* esse *judaïca*, ex eo explicatur, quod cum Gente samaritanâ primum Coloni, aliique deinde Exteri quam plurimi sese commiscuerunt; ea vero *jam diversa* esse ab incolis *hodiernis*, ex summâ religione, quâ pauci eorum, posterioribus seculis superstites, matrimonia cum aliis populis studiose evitarunt. — Prophetas quod attinet, *hi*, H. inquit, *tradunt* omnes *Israëlitas ex Palaestinâ abductos esse.* Ex nullo tamen loco id liquet. Pari modo de Israëlitis ii locuti sunt, atque de Judaeis. De his autem diserte constat, magnam turbam post Hiërosolyma devastata in Judaeâ remansisse. Jeremja autem, c. XXXI. 8 *reditum* Israëlitarum depingens, aperte *poëtam* agit; alius vates (Zach. X) de iis modo verba facit, qui ex *Gileade*, et *tractibus*, *Libano finitimis*, educti erant (vs. 10).

Haec vero quaestio *de iis*, qui revera abducti sint, dignissima est, quae accuratius expendatur.

## §. 3.

### *Loci illustrantur, ubi de abductis Israëlitis fit mentio.*

Majorem Israëlitarum partem in captivitatem non abductam esse, sed in Palaestinâ remansisse, nemo in dubium vocet, qui *res*, ac praecipue *linguam* Samaritanorum, ac

(1) Matth. X. 5. 6; Luc. XVII. 18; Joh. IV. 22.

(2) Robinson *Palaestina* III, p. 317 seq.

(3) l. l. III, p. 327.

singulas nostrae quaestionis partes omnes perpenderit. Eam igitur sententiam multi professi sunt. In his Waltonus (1), et qui hanc quaestionem deditâ operâ explicuit, J. D. Michaëlis (2). Deinde Wahlius (3), de Wettius (4), de Sacyus (5), ac nuper Chr. H. Kalkar (6) et Bertheau (7). Ut hanc quaestionem rite tractemus, locos primum inspiciamus, ubi de abductis Israëlitis fit sermo.

Ex Regno ephraïmitico primi captivi abducti esse videntur anno a. C. n. 770 a Phulo (8), regnante Menahemo (9), si nempe cum Knobelo (10) in loco Jes. VIII. 23, et IX. 1 de ejus, non vero, ut alii existimarunt, de Tiglath Pilezaris expeditione, anno 740 sive 739 susceptâ, sermonem esse, statuimus. Tunc ergo Assyrii pervaserunt terram Naphthalitarum, et Zebulonitarum, ac, postquam Israëlitarum Rex, soluto tributo, pacem emerat, per regiones trans Jordanem redierunt.

Abductos captivos male esse habitos, ex Jes. IX. 1 apparet, at numerum eorum non valde magnum fuisse, novimus ex sequenti Assyriorum invasione sub Pheqaho, quum Tiglath Pilezar alios iterum in captivitatem abduxit. De hac expeditione mentio fit 1 Chr. V. 26, his verbis: וַיַּגְלֵם לָרְאוּבֵנִי וְלַגָּדִי וְלַחֲצִי שֵׁבֶט מְנַשֶּׁה וַיְבִיאֵם לַחְלַח וְחָבוֹר וְהָרָא וּנְהַר גּוֹזָן עַד הַיּוֹם הַזֶּה. Haec dicta partim supplentur, partim accuratius definiuntur alio loco 2 Reg. XV. 29, ubi legimus: וַיִּקַּח אֶת־עִיּוֹן וְאֶת־אָבֵל בֵּית־מַעֲכָה וְאֶת־יָנוֹחַ וְאֶת־קֶדֶשׁ וְאֶת־חָצוֹר וְאֶת־הַגִּלְעָד וְאֶת־הַגָּלִילָה כֹּל אֶרֶץ נַפְתָּלִי וַיַּגְלֵם אַשּׁוּרָה. *Quinque oppida* hic primum memorantur, sita a septentrione lacûs Merōmi, sive Samochonitidis, nec longe ab eo remota, quae Assyrii, captâ Damasco (11), cepisse videntur (12). Quare

---

(1) Prolegom. XI, §, 3.

(2) *De exsilio decem tribuum*, in *Comment.*, Brem. 1763, p. 31 seqq.

(3) *Allgem. Gesch. der Morgenl. Spräche u. Liter.*, Lips. 1784, p. 558 seq.

(4) *Lehrb. der hebr.-jud. Archaeol.*, Lips. 1842. p. 49.

(5) *Mém. sur les Samarit.*, p. 7. *Il est vraisemblable*, de Sacyus inquit, *que les Israëlites, demeurés dans les dix tribus, formaient la plus grande partie de la population* cet.

(6) *Theol. Mitarbeiten*, 1840, 3 heft. p. 24—38. (7) l. l. p. 341, 358 seqq., 383.

(8) 1 Chr. V. 26. (9) 2 Reg. XV. 19 seq. (10) *Der Profet Jesaja*, p. 63. (11) 2 Reg. XVI. 9, 10.

(12) Horum oppidorum, עִיּוֹן ab eo lacu est remotissima. A Robinsono quidem, neque in *Itinerario*, neque in *Mappis* id memoratur, attamen ex ipsius etiam dictis et indiciis situs loci satis certo definiri potest. Plus semel nimirum sermonem fecit de مَرج عيون (*Palaest.* Tom. III. p. 607, 611, 612, 620, 621, 645, 648, 655), qui campus, ut jure conjecit (l. l. p. 887), ab eo oppido nomen accepit. *Ijōn* in eo tractu ponatur a septentrione oppidi אָבֵל בֵּית מַעֲכָה, qui locus non differre videtur ab hodierno آبل الهوا (ibid. p, 887), neque ab oppido, dicto 2 Chr. XVI. 4 אָבֵל מָיִם. Erroris causam indicavit Hamakerus (in *Comment. in Lib. de vitâ et morte Prophet.*, p. 144 seqq.), ex scripturae compendio אָבֵל מ״.

haec sigillatim et primo loco enumerentur, licet, deinde de *Galilaeâ* et *totâ terrâ Naphthalitarum* sermo est, intelligitur ex universâ hujus expeditionis ratione. Haec oppida, ad quae primum accesserunt, non sine vi expugnata, penitusque direpta, et fortasse vastata sunt, quâ occasione incolas ex strage superstites, juvenes in primis et puellas, in servitutem redegerint. Cujus calamitatis memoria indigenarum menti ita inhaeserit, ut horum locorum expugnationem separatim non tradere non potuerint.

Hinc Assyrii ulterius pergebant versus Mare Tiberiadis, per omnem igitur Naphtalitarum terram (כָּל אֶרֶץ נַפְתָּלִי), sed per *partem* modo *Galilaeae* (1) transeuntes. Ad quod

---

Sequitur in textu nostro nomen יָנוֹחַ, probe distinguendum ab oppido ejusdem nominis *in confiniis Ephraïmitarum et Manassitarum* (Jos. XVI. 6, 7). *Illud*, si idem est atque hodiernum الجاعونة, in tractu الخَيْط nunc dicto, situm erat ab occidente lacûs Merōmi (Robins. l. l. p. 887), et ab oriente oppidi, 4° loco enumerati, קֶדֶשׁ, quod hodie idem etiam nomen gerit (Rob. l. l. p. 622). Nec dubius est situs oppidi חָצוֹר. Hoc Josephus jam indicavit. Loquens de Jabino olim ibi regnante (Jos. XI. 5, 7), de eo loco, *αὕτη*, inquit, *δ' ὑπέρκειται τῆς Σεμεχωνίτιδος λίμνης* (*Antt.* V. 5. 1); ibique in Mappâ Robinsoni etiam notatur, exhibente *Ain el Hazury*, et paulo altius *rudera* loci *Hazury*, in tractu, nunc dicto تيم التحتانى, in cujus tamen locorum (quae Smithus ipse adiit) catalogo (Tom. III, p. 889) non recensetur.

Ex his *quinque* oppidis, *Ijōn* et *Abēl bēth Maacha* enumerantur item inter loca, a Syris jussu Ben-Hadadi, regnantibus Asà et Baesà, expugnata, 1 Reg. XV. 20, ubi insuper adduntur praeter דָּן, כָּל־כִּנְּרוֹת עַל כָּל־אֶרֶץ נַפְתָּלִי, *omnia korrea*, *per omnem terram Naphthalitarum* sita, id est *omnia loca*, s. *oppida*, *quae mercium erant receptacula.* Eodem nempe consilio, quo olim Syri, deinde Assyrii eas urbes cepisse videntur, *diripiendi* nimirum. Quo copiosiores ergo rapinas agerent, *ea loca* potissimum petiverunt; utque *illi*, Damasco profecti, ab *hac* parte Palaestinam invaserant, sic Assyrii, postquam Damascum ceperant, viâ incedebant, quae inde per vallem Libāni, sive per Coelesyriam in Palaestinam ducit.

(1) Si vel statuitur cum Winero (*Bibl. Realwörterb.* in voce *Galiläa*), nomen גָּלִילָה ante exsilium babylonicum minus late quam postea patuisse, *partem* tamen hujus etiam regionis, quae ab Ijōne ad lacum Tiberiadis extendebatur, Assyrii tunc invaserunt. Non tantum enim tractus Naphthalitarum *septentrionales*, sed etiam, ut liquet ex Jes. VIII. 23, *Zebulonitarum terra*, 2 Reg. XV. 29 non memorata, Galilaeae nomine nuncupabatur. Potius ergo existimem *omnem* Naphthalitarum regionem ante exsilium hoc nomen jam gessisse; quia ét *Zebulonitarum* terra *a meridie* illius sita est, ét locus Jud. I. 33 de Canaanitarum frequentiâ per *omnes* Naphthalitarum tractus loquitur. Ibi enim *haec Tribus* habitasse dicitur *in mediis Canaanitis*, *terrae incolis*, ut Aseritae vs. 32; non vero (quod de aliis Tribubus narratur) ibi observatur, *Canaanitas in mediis Tribubus* habitasse. Quae porro ibi adduntur, ostendunt, quam potentes Canaanitae ibi etiam fuerint. Duas urbes hi soli tenebant olim, et semper tenuisse videntur. Incolae enim Bēth-Schemeschi et Bēth-Anathi *non expellebantur*, iisque *tributum* quidem imponebatur, a Salomone nimirum (1 Reg. IV. 9), sed ipsum hoc tributum declarat, eosdem ibi *tum* fuisse superstites; nec credibile est, *postea* ipsos inde recessisse. — Si denique dicta de *Aseritis* quoque perpendimus, non probabile est, solas *Naphthalitarum* et *Zebulonitarum*, sed et *Aseritarum* ditiones jam ante exsilium nomine גְּלִיל הַגּוֹיִם

Mare quum pervenissent, a septentrione ejusdem abiisse videntur orientem versus in terras trans Jordanem, l. l. dictas גִּלְעָד (1).

Intactas ergo tunc reliquerunt Assyrii Tribus Aseri, Zebulonis et Issascharis, ex quibus igitur nulli captivi abducebantur. Neque etiam credibile est, illos per omnem Naphtalitarum ditionem transeuntes, dictis oppidis captis et devastatis, cetera oppida, et omnes vicos ac pagos vastasse, et incolas inde deduxisse. Ut mox indicabimus, collatis locis tum de *Judaeis* captivis, tum de Hizqiae et Josiae mandatis (2 Chr. XXX. 1, 5, 6 et XXXIV. 6, 7, 9) agentibus, ii tantum nostro loco (2 Reg. XV. 29) intelliguntur, qui ceteris sive dignitate, sive divitiis, sive artium opificiorumque peritiâ superiores essent.

Nec alii abducti esse videntur ex Tribubus trans Jordanem, quamvis de harum Tribuum reliquiis in locis libri alterius Chronicorum laudatis, non diserte fit mentio, nisi has etiam spectatas esse velis verbis כֹּל שְׁאֵרִית יִשְׂרָאֵל (2 Chr. XXXIV. 9). Ac revera solius *Principis* viri abducti mentio obvia est 1 Chr. V. 6.

Ad has autem Tribus trans fluvium Assyrii se converterunt, non modo ut per ipsarum terras Damascum reverterentur, insignemque exinde item praedam secum ducerent, sed fortasse etiam, quia a Tribubus nomadicis, Tribubus israëliticis trans Jordanem vicinis, excitati erant ad vindictam ipsis sumendam ab injuriis, quibus non diu ante hae Tribus israëliticae ipsas affecerant. Hae enim israëliticae Tribus trans Jordanem ét numero ét divitiis temporis decursu mirifice auctae erant, ac terram in dies latiorem occupaverant (2).

---

appellatas fuisse. Illarum enim Tribuum terrae si ob *gentium frequentiam* sic dicerentur, hoc nomen sine dubio non minus terrae *aseriticae* conveniebat, *quae Phoeniciae proxime adjacet.*

(1) Nomine גִּלְעָד, collato loco 1 Chr. V. 26, tota Israëlitarum terra trans Jordanem significari videtur, quia ibi de *Rubenitis*, *Gaditis*, et *dimidiâ Manassitarum Tribu* sermo est. Haec dicendi ratio ceterum est notissima.

(2) Lauta ac splendida Tribuum trans Jordanem conditio Tiglath Pilezaris aetate ex manifestis cognoscitur indiciis, in antiquo obviis monumento, quod in compendium redactum 1 Chr. V servatum est. Has earum Tribuum res prosperas et florentes Epitomator ipse probe perspexisse et *in primis* significasse videtur, hanc felicitatem cladi opponens, quam Assyrii iis intulerunt (vs. 25 seq.). Nec *pristini* adeo, sed *dicti* potius temporis statum ibi spectari, exinde apparet, quod uberior narratio, quam ille hujus Operis Chronicorum auctor manu tenebat, cum genealogiis *eo usque* continuabatur. *Rubenitae* nempe ab Aroëre extendebantur ad media usque loca campestria, quae ad Euphratem usque patebant (vs. 8 et 9). *Gaditae* non tantum in Basane habitabant, sed ad Salcam usque sedes suas habebant (vs. 11). *Manassitae*, numero, quod diserte monetur, aucti per Antilibânum longe lateque se propagaverant (vs. 23). Hae ergo Tribus ante jam potentes, plus semel cum vicinis Nomadibus bellaverant. Duorum bellorum hic fit mentio; prioris sub Saülo cum Hagarenis (vs. 10), posterioris cum iisdem eorumque sociis gesti aetate, ut videtur, Jarobami II, et Jothami, quia hoc annectitur *censui*, iis temporibus de his Tribubus habito, ac magnum virorum bello aptorum numerum exhibenti (vs. 17, 18). Durissimum et saevissimum *hoc* bellum erat.

Vim tamen harum Tribuum, Phuli expeditione, et ante (1) jam afflictam, iteratâ Assyriorum invasione fractam esse, quisque sentit, etiam si statuitur, regiones trans Jordanem quoque non omnibus incolis privatas esse. Ex aliis illud indiciis pariter animadvertimus. Post hanc enim expeditionem magis praevaluerunt Moabitae et Ammonitae, magnamque ii terrarum, quas eae Tribus incolebant, partem occuparunt. Quod licet in Libris historicis nullibi tradatur, tum ex Jes. XV (1) apparet, ubi de praecipuis earum Tribuum urbibus, tamquam *moabiticis* sermo est, tum confirmatur Jerem. XLIX. 1—5, quo loco *Ammonitae Gaditarum haeredes* dicuntur.

Dolendum est, non alia superesse testimonia, ex quibus de reliquiis harum *israëliticarum Tribuum* trans Jordanem, earumque sorte posterioribus temporibus, judicare possumus. De Israëlitarum, in *septentrione Palaestinae* superstitum, conditione post illam expeditionem, nonnulla, perpauca licet, innotuerunt. *Magnum* horum *numerum*, Regno Israëlis everso, superfuisse, jure contendit Bertheau (2). Ex Ezech. XXVI. 19 probare conatur, *Danitas* ad Regni judaïci finem forum Tyri cum mercibus suis adiisse. Mercatura sine dubio in iis tractibus brevi post hostium abitum restaurata est, et multos excitaverit, ut eo migrarent. In his fuerint item Judaei exsules, in Phoeniciâ degentes, de quibus infra dicendum. Nimirum parum verosimile est, quod Bertheau l. l. conjecit, Judaeorum in Galilaeâ posterioribus seculis frequentiam, ex solis *Israëlitis in eâ terrâ relictis* explicandam esse. *Judaeorum* numerum ex *Judaeis* potius derivem, tum quoniam Historia docet, *hos* deinceps illuc abiisse, tum etiam, quia, si qui Israëlitarum ad Mosaïsmum judaïcum transierint, plerique eorum, ob intimam, quae iis cum Phoenicibus semper intercedebat, necessitudinem, praesertim postquam corruptus Jahves Cultus abrogatus erat, qui in urbe *Dan* olim florebat, ad Gentium Sacra recipienda procliviores fuisse videntur, quam ad Cultum judaïcum amplectendum.

De tertiâ Assyriorum expeditione a Schalmanazaro susceptâ in *mediam Palaestinam*, exponitur 2 Reg. XVII. Quae hoc capite narrantur, partim hujus libri Auctori tribuantur, nimirum vs. 7—23, et 34—41; partim ab eo aliunde desumta sunt, nempe vs. 1—6

---

Nomades isti tunc subacti, penitusque fere fracti esse videntur. Innumeri nimirum caesi sunt, multa millia in captivitatem abducta, praeda pecorum insignis (vs. 21, 22). Multi sine dubio ad vicinas Tribus se contulerunt, nec melius odio in Israëlitas lethali saturare se posse opinati sint, quam si, vindictae sumendae ipsi quippe impares, potentiores Assyrios excitarent juvarentque, ad Israëlitarum potentiam et superbiam vicissim frangendam.

(1) Ex Jes. XV, ubi vetus occurrat Oraculum, a Jonâ, ut conjicitur, primum editum, sed a Jesajâ deinde in suos usus conversum, efficiendum esse videtur, Moabitas sub Jehûo fortasse et Joahaso, terras trans Jordanem jam invasisse, eos vero a Jarobeamo II inde iterum expulsos esse (vid. Knobel l. l. p. 107), at eosdem rediisse post Tiglath Pilezaris abitum.

(2) l. l. p. 359 seq.

ex Chronico antiquiore, et vs. 24—33 ex alio libro, sive relatione alicujus, qui res Samaritanas accurate cognitas habebat. In illo Chronico dicendi genus animadvertimus concinnum, ibique (vs. 6) *Samariae* nomen de *urbe* tantum adhibetur. In alterâ pericope (vs. 24—33) stilus est copiosior, idemque nomen (vs. 24, 26) de *universâ terrâ* usitatur. Majoribus vero verborum ambagibus utitur ipse Libri Auctor, nec tamen locos, quos descripsit, illustrat. De Cultu tantum disputat, et, *in Palaestinâ* quippe *non vivens* fortasse, non nisi *fando* de Samaritanis audivisse videtur. Is autem, ut ex vs. 19 et 20 liquet, ubi *Regnum judaïcum eversum* ob oculos habet, sine dubio *post Hiërosolyma eversa*, et, ut Wettius jure conjecit (1) *non ante annum ante C. n. 551*, fortasse scripsit. Itaque eo vivente, a captâ (anno 722) Samariâ, 171, nisi plures anni praeterlapsi erant; nondum tamen absolutum erat exsilii tempus. Sic ergo, ut legimus vs. 41, de *filiis filiorumque filiis* Colonorum, qui, Regno Israëlis sublato, Cultum Dei israëlitici cum Idolorum Cultu conjunxerant, non vero de rebus gestis post reditum ex captivitate, is loqui poterat. *Ejus* dicta quanto minoris sunt pretii ad Historiam explicandam, tanto majoris ea sunt, quae ab *alio* accepta, vs. 24—33 suis interposuit. Haec tamen *Colonorum* Cultum in primis spectant, non ipsos Israëlitas, de quibus hoc capite vel ita sermo fieri videtur (vs. 6, 18, 23), ut, *universam* Gentem abductam esse, fere opinareris. Quomodo autem de eâ dicendi ratione judicandum sit, tum ex *aliarum* Gentium, tum ex *Judaeorum* Historiâ manifestum est. Hos, brevitatis causâ, tantum consideremus.

Regnante Jojachino, omnes Hiërosolymorum incolae (כל־ירושלם) abducti, ac *plebs tenuis terrae* modo relicta esse, dicuntur (2). Haec ad vivum non resecanda esse, quisque sentit. Intelliguntur, qui diserte ibidem recensentur, *rex cum matre*, atque *uxores ejus* et *aulici; viri* deinde *in civitate principes*, *iique*, *qui bello gerendo apti erant; fabri* praeterea *lignarii* et *ferrarii:* quare Libri Auctor melius profecto scripsisset, si *copulam* post ירושלם omisisset. Et vero *numerus* captivorum haec confirmat, qui secundum vs. 14 et 16, *paucis millibus* constabat. Imo non sola plebs postea supererat, sed viri etiam principes, et eruditi, et artifices. Accedit, sub Zidqiâ Judaeorum coloniam *iterum* in Babyloniam deductam esse (3), quo facto Gentis pars, eaque haud exigua item in Judaeâ mansit, cui tum praeficiebatur Praefectus (4), et quae multis profugis, qui ante ad finitimas gentes fugerant, bello composito, augebatur (5); in quibus Gentis reliquiis non omnes, vel tunc etiam, *imbelles* erant et *egeni* (6). — Dicta denique magis illustrantur iis, quae Jerem. LII: 28—30 leguntur. Ibi eorum, qui variis temporibus

(1) *Lehrb. der hist.-krit. Einl. in's A. T.* 5e ed., Berol. 1840, p. 241. Eodem redit disputatio H. Ewaldi, *Geschichte des Volkes Israël*, Gott. 1843, I. p. 204, 211 seqq., coll. p. 169 seqq.

(2) 2 Reg. XXIV. 14. (3) 2 Reg. XXV. 11. (4) Ibid. vs. 12.

(5) Jerem. XL. 6—12. (6) Jerem. XLI. 10, 16; XLIII. 6.

abducti erant, numerus distincte definitur. *Anno nempe* 7° Nebucadnezaris, 3023; *anno ejus* 18°, 832; *anno* 23°, 745: ita ut summa sit 4600. Hujus loci, et 2 Reg. XXIV: 14 et 16, dissensum in concordiam redigere non tentabimus (1): qui conatus, quoniam hominum numerum accurate definire, veteres vulgo parum curabant, irritus foret. Ac varias de abductorum numero relationes inter Judaeos *exsilii tempore* jam circumlatas fuisse, novimus ex 2 Reg. XXIV: 14, 16, qui loci diversas de eo numero observationes videntur exhibere. Quamvis igitur istud discrimen componi nequeat, attamen *numerorum* qualiscunque *indicatio*, quia haec *veterum Judaeorum eâ de re sententiam* tradit, alicujus est momenti. Exinde nimirum efficere licet, *abductorum* Judaeorum *numerum aliquot (eaque haud multa) millia hominum non superasse* (2).

---

(1) Ejus rei periculum fecit J. D. Michaëlis, l. l. p. 50 seqq.

(2) De magno numero Judaeorum, qui, Hiërosolymis a Chaldaeis eversis, in Judaeâ superessent, vid. Bertheau l. l. p. 382 seqq., ibi consulens, quae in *Jeremjae* Vaticiniis de iis traduntur. Cum his etiam conferantur dicta Obadjae vs. 19, 20, quibus ab omni parte confirmantur, quae de Judaeis ibi monentur. Obadja enim Vaticinium pronunciavit post eam Hiërosolymorum eversionem, durante captivitate, utque videtur, in Phoenicià, ubi in mediis Judaeis, qui illuc ante postrema Regni judaïci fata partim abducti essent, partim ipsi se contulissent, versabatur. Loquitur nempe de גָּלֻת הַחֹל הַזֶּה, de *captivis hujus orae* (nam sic cum Ewaldo in *Proph.' Bücher* ad h. l. legimus, pro (ג' הַחֵל הזה), quam *oram* esse, sive *tractum maritimum*, a Phoenicibus habitatum, docent verba כְּנַעֲנִים עַד צָרְפַת (*Canaanitae ad Sareptam usque*). Auream autem aetatem depingens, quae Judaeis post acerbam istam calamitatem, et injurias, quas ab Idumaeis ii perpessi erant, futura esset, sortem delineat primum *eorum*, *qui*, *Hiërosolymis devastatis*, *in Judaeâ relicti erant;* deinde *eorum*, *qui in captivitatem erant abducti*. Illos vs. 19 enumerat, quatuor attendens partes, in quas Regnum judaïcum dividebatur, de quibus pariter sermo fit Jerem. XXXIII. 13, et Jos. XV. 21, 33, 48. Has ille hoc ordine recenset: 1) הַנֶּגֶב, s. *pars meridionalis*, cujus incolae per *ditiones Idumaeorum*, 2) הַשְּׁפֵלָה s. *pars occidentalis*, cujus incolae per *tractus Philistaeorum*, 3) הָהָר (hoc enim *post alterum* וְיָרְשׁוּ inserendum, ejusque lectionis indicia alex. Versio in voce τὸ ὄρος servavit), s. *pars montana* et *interior*, quae etiam הַר יְהוּדָה, et Luc. I. 39 ἡ ὀρεινὴ dicitur, cujus incolae *per terras Ephraïmi et Samariae*, 4) בִּנְיָמִן, sive ii, qui in *ditione*, Tribui *Benjaminiticae* assignatâ habitabant, id est in parte Regni *orientali*, Jordani etiam conterminâ, cujus incolae per *Gileadem*, sive per terras *trans Jordanem*, se propagarent. — Hoc igitur Vates voluit, *Judaeos* tunc in Judaeâ habitantes, invasuros esse terras aliarum adjacentium Gentium, quarum locum, si ab hostibus ipsae perditae, aut expulsae essent, iidem occuparent. Minime autem, haec praedicens, cogitavit ille, *omnes ex* terris, quibus Regnum ephraïmiticum olim continebatur, *incolas tunc abductos esse. Ephraïmi* scilicet et *Samariae* et *Gileadis* incolas uno tenore commemorat cum *Idumaeorum*, *Philistaeorum*, *Phoenicum*que tractibus, qui eo tempore, ut ipse in Phoenicià degens, probe sciebat, magno incolarum numero instructi erant, et in bellis, a Chaldaeis cum Judaeis gestis, magnas partes egerant. Ita vero de *posteris* loquens civium Regni israëlitici, eosque eâdem sorte dignos judicans, quà Gentes vicinae, animum in eos manifestat haud sane benevolum.

His recensitis, transit ad terras *exsulibus* post reditum assignandas. Duas commemorat exsulum

Idem de *Israëlitis* statuendum esse, res ipsa docet. Quid enim cum plebis turbâ innumerâ, ineptâ, egenâ, *alibi* agendum? Prudentiusne est, hanc in patriâ relinquere, ac vitam ei sinere ignobilem, ac tantum cavere, ne ea tumultuetur? Ac viros *dignitate*, *divitiis*, *ingeniique facultatibus* aliis praestantiores, potissimum abductos esse, ipsa etiam Israëlitarum traditio, quae v. c. in Libris Danielis et Tobiae servata est, confirmat. Ex hac enim traditione, mirifice licet exornatâ, efficere possumus, exsules utriusque Regni

---

catervas. Prior est caterva, in Phoenicià degens, de quâ dicit: גָּלֻת הַחֵל הַזֶּה לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת־אֶרֶץ כְּנַעֲנִים עַד צָרְפַת (sive potius אֶת־כָּל־אֶרֶץ), id est: *israëlitici hujus orae captivi terram*, sive *omnem terram* (*haereditabunt*, scil. יָרְשׁוּ) *Canaanitarum* s. Phoenicum, *ad* urbem *Sareptam usque*. Pro אֲשֶׁר כְּנַעֲנִים, quae verba explicari nequeunt, sic nempe lego; eamque lectionem confirmat Versio alexandrina, ubi tamen Interpres sensum non cepit. Melius Vulgata Versio: *et transmigratio exercitus hujus filiorum Israël omnia loca Chananaeorum usque ad Sareptam*; Ibi ergo retentâ הַחֵל, vertit Auctor, ac si legisset in Hebraïcis אֶת־כָּל־אֶרֶץ. Solum vocabulum אֶרֶץ legit Chaldaeus, vertens sequentia, ac si legisset, אשר בארץ כנענים, s. אשר בכנענים. Credibile igitur est, אשר textui insertum esse a librario, textum non intelligente, ac suâ ratione explicante, cui Codex male scriptus ob oculos fuerit, in quo per conjecturam ex litteris את כל ארץ, legerit אשר. Hac lectione aliquando receptâ, duae aliae ortae sunt. Altera: אשר מן כנענים, quam enunciavit Syrus; altera, בכנענים, quam Chaldaeus fortasse secutus sit. Sine dubio, quia vox ארץ in nonnullis Codd. olim legebatur, melius est *hanc* vocem restituere, quam cum Ewaldo legere אֶת־עָרֵי.

Ut his exsulibus assignatur ora maritima *ad Sareptam usque* (nam *ultra Sareptam* sedes erant Philistaeorum, quas Vates jam dederat incolis τῆς הַשְּׁפֵלָה), adeoque ipse tractus, in quo tunc *exsules degebant;* sic posterior caterva, ex urbe Hiërosolymorum abducta (גלת ירושלם), quae dicitur tunc habitasse *in extremis Euphratis partibus*, loca occuparet eorum Judaeorum, qui ex הַנֶּגֶב meridiem versus in Idumaeam migraverant. Pro בִּסְפָרַד (quod nomen Lassen, in *Zeitschr. f. d. Kunde des Morgenl.*, VI. Bd. 1. h. p. 50, explicuit de *Sardibus*, Lydiae metropoli) lego nimirum בְּסוֹף פְּרָת, cujus lectionis indicia habentur in alexandrinâ Versione, in verbis, ἕως Ἐφραθὰ [עַד אֶפְרָת]. Intelliguntur fortasse Judaei, in oras Chaborae olim delati, inter quos vaticinatus est Ezechiel. Qui si se propagaverint per tractus a septentrione Chaborae sitos, dictio סוֹף פְּרָת egregie convenit sedibus, in quibus ii habitarent.

De conditione, quâ Judaeorum coloniae in Phoenicià et Mesopotamiâ, durante exsilio uterentur, et de tempore, quo in eas terras abductae sint, hic non agimus, quia hae quaestiones obscuriores sunt, quam ut paucis absolvi possint. Observemus tantum, perpaucos Judaeos ex oris Maris mediterranei in Judaeam rediisse. Verosimile enim est, hos potius sive ibi remansisse, sive in *Galilaeam* se contulisse. Hi primi auctores fuerint, ut haec regio permagno isto, qui postea ibi reperiebatur, *Judaeorum* numero frequentaretur. Ibi nempe horum posteri, splendidis emolumentis commoti, ex mercaturâ cum proximis urbibus maritimis redundantibus, manserint, eorumque numerus aliis Judaeis, ex Judaeâ profugis, deinceps auctus sit. Sic causa est in promtu, quare isti profugi, Gentium Sacra cum Mosaïcis conjungere cupientes, si *aliis* ibi *Judaeis* jam obvii fierent, iisque Gentium moribus et consuetudinibus assuefactis, illuc, neque alio, vel in remotiores regiones, se converterent. Tum etiam sic manifestum est, cur in Galilaeâ tunc urbes haud paucae ortae sint, mercaturâ opibusque florentes, et lautâ rerum conditione fruentes, cujusmodi ex Libris Maccabaeorum, ex N. T., et ex Josephi Scriptis, plures novimus.

in exteris terris summis muneribus haud raro functos esse, ad quae *ingenii animique dotes* ipsos tantum *iis in regionibus* adducere poterant. Quid Danieli acciderit, ejusque amicis, res est notissima. Similiter Tobias, ab Assyriis ex Galilaeâ Niniven abductus, in aulâ regis erat ἀγοραστής, sive οἰκόνομος (I. 13); ejusque cognato Achiacharo *quaestura regni* et *omnis administratio* (ἐκλογιστία τῆς βασιλείας καὶ πᾶσα ἡ διοίκησις), sive *Veziratus* demandabatur (I. 21 seq.). Ut de illius *divitiis* (I. 14; IV. 1, 20), sic etiam de Raguëlis, alius Israëlitae, Ecbatanae habitantis, lautâ vitae conditione sermo est (III. 7, et X. 11). Caveamus enim, ne haec omnia prorsus ficta esse existimemus, neve, et si hae historiae partes fictae essent, judicemus, res esse narratas, quae sive haud verisimiles essent, sive fieri non possent. Exemplum Nehemjae in aulâ persicâ viventis, aliaque exempla quam plurima recentioris aetatis docent, Judaeis saepissime ob sagacitatem, ac dotes insignes, ad summos honores aditum patuisse (1).

Magnam incolarum partem in Regni israëlitici eversi terris remansisse, testatur etiam antiquus Scriptor judaeus. *Auctorem* puto *Chronicorum*, ex cujus dictis, quorum fides historica nullo dubio est obnoxia, liquet, eum, Israëlitas cogitasse *magno nu-*

(1) Ne sive hîc, sive in posterum Libri Tobiae auctoritate temere usus esse videar, paucis meam qualemcunque de eo Libro opinionem tradam. A *Judaeo aegyptio* videtur esse conscriptus, qui, itinere, mercaturae fortasse causâ Ecbatanam suscepto, hic, et inter exsules 10 Tribuum, per quos medios transierit, in Gente servatam et vigentem de Tobiâ traditionem acceperit. Indigne forsitan tulit Cultum mosaïcum ibi non modo corruptum, sed a multis, qui Gentium Sacra probarent, neglectum esse. Multos tamen invenerit illius Cultùs patronos, cujusmodi Jeremjae aetate jam ibidem fuisse ex Jerem. III. 12 seqq., et ex Jerem. XXX et XXXI est probabile, quin ex Nahumi exemplo satis constat: quem fuisse אֶלְקֹשִׁי (id est ortum ex oppido القوس ad Tigridem, haud procul a Mauçilâ sive Mosul sito) Libri inscriptio (Nah. I. 1) testatur; et cujus patriam *Assyriam* fuisse, tum Libri *argumentum* docet, quod de *solius* Ninives fatis agit, et accuratior rerum assyriacarum, in Vaticinio obvia, notitia; tum etiam *sollicitudo* ejusdem de *hujus* terrae *sorte*, ac pauca *vocabula* fortasse *assyriaca*, in eo Libro occurrentia, declarant. Hujus Prophetae, aliorumque *Judaeorum* conatibus, tempore praesertim, quo studium religionis judaïcae propagandae, Jesu aetate *jam diu* vigens (Matth. XXIII. 15), fervebat, factum sit, ut Cultus judaïcus inter exsules illos majores in dies progressus faceret. Eodem studio ductus sit Libri Tobiae Auctor, qui, quo melius haec res ipsi cederet, consilium iniit libri edendi, quem ab ipso Tobiâ scriptum esse fingeret, ut *hujus* monitis Israëlitas ad Mosaïsmum amplectendum moveret. In Aegyptum redux hunc Librum *hebraïce* scripserit (vid. DE WETTE, *Einl. in's A. T.* ed. 5ª 1840, p. 424. not. *g*), qui textus, ad solos fortasse exsules 10 Tribuum missus, periit. In *Palaestinâ* non vixisse videtur. Sic *error geographicus* explicatur in cap. I. 2, in verbis ἐκ Θίσβης, ἥ ἐστιν ἐκ δεξιῶν Κυδίως τῆς Νεφθαλὶ ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ὑπεράνω Ἀσὴρ (l. Ἀσώρ); ubi, quid de definitione *Thisbes*, a dextrâ, id est a meridie, ut dicitur, *urbis* קֶדֶשׁ sitae, statuendum sit, hodieque ignoratur; at sine dubio, quod de קֶדֶשׁ fertur, falsum est; quae urbs ut distinguatur a קָדֵשׁ בַּרְנֵעַ, distinctius significatur, tamquam *super*, sive ab *alterâ parte*, id est *a septentrione* oppidi חָצוֹר sita, dum contra קֶדֶשׁ *a meridie* Hazori collocanda est (vid. p. 15, not. 12).

*mero* sub Hizqiâ et Josiâ per Palaestinam viventes, ac *conditione* fruentes *lautiore*, quam plerique recentiores vulgo perhibent, turbam exilem modo, et abjectam sibi fingentes. Hizqia nempe 2 Chr. XXX festum Paschatis celebraturus, epistolas quoquoversus per Palaestinam misisse fertur (vs. 1, 5, 6), quibus 10 *Tribus*, ut festo interessent, invitaret. Cui invitationi, quamvis nonnullis ea esset ludibrio (vs. 10), permulti obsecuti sunt (vs. 11 et 18). Josia similiter in urbibus *Manassitarum* et *Ephraïmitarum*, et in urbibus usque *Naphthalitarum* per universam terram Idololatriae vestigia delevisse (quod saltem *volebat*), et magnam pecuniae vim ad Templum restituendum inter *Manassitae* et *Ephraïmitas*, et *omnes Israëlitarum reliquias* collegisse dicitur (2).

His locis collatis, illustratur etiam tum id, quod Jerem. XLI. 5 *de* 80 *viris*, *Sichemi*, *Siluntis* et *Samariae*, *incolis*, narratur, qui post Hierosolyma eversa Mizpam venerunt, *ut dona ad locum sacrum ferrent;* tum etiam, quae 2 Reg. XVII. 28 leguntur

---

In *Aegypto* deinde exstiterit, et maxime viguerit religio ista, et anxia opinio *de corporibus mortuis caute sepeliendis*, in Tobiae Libri cap. I et II memorata, et a Raphaële Angelo (XII. 12 et 13) impense laudata. Porro *in Aegypto* auctorem scripsisse, elucet ex mentione *Aegypti superioris*, quorsum *Asmodaeus*, malus genius, fugisse fertur (VIII. 3); quem locum noster elegit, quia ipsi erat notissimus, ut simili fere in re, Zacharja terram ipsi notiorem memorat *Sinearis* (Zach. V. 11), et Apocalypseos Auctor desertum *Euphratis* (Apoc. IX. 14).

*Quo tempore* Judaeus ille aegyptius scripserit, certo definiri nequit. Sine dubio *post Alexandrum magnum*, ac fortasse seculo circiter ante Christum natum. Tunc opiniones *de decimis tertiis* (I. 7, et 8) usu tritae fuerint, et Persarum philosophemata vim suam jam dudum exseruerant in *judaïcam de Angelis doctrinam* exornandam (III. 8, VI. 14, XII. 15), atque *artes* inventae fuerunt ad daemones fugandos (VI. 6 seqq. et 16, 17). Tunc *Graeci mores* altas jam in vitam judaïcam radices egerant. Nec modo usus *δραχμῆς* (V. 14) tritissimus, sed etiam *canes* magis jam erant *dilecti* (V. 16, et XI. 4), ac *scribendi arte* diligentissime utebantur in *matrimonii conditionibus* stipulandis (VII. 14), et *apographis* faciendis, *quibus pecuniam alicui servandam*, *traditam esse significabatur* (IX. 5). Tunc denique huic Auctori notus esse potuit Liber *Jonae* et *Estherae canonicus* (XIV. 4, 8 et 10), nec sic mirum est, *tempora turbata* ac *misere confusa* esse, ita ut *Nebucadnezar cum Ahasvero Niniven cepisse* (!) dicatur (XIV. 15).

*Graeca* hujus Libri *versio* posteriori demum aetate, paulo ante, sive paulo post C. n. exstiterit, adeo ut vix amplius miremur, neque Philonem, neque Josephum, hoc Libro usos esse. Ex hac graecâ Versione fluxit Versio hebraïca, anno 1517 primum edita Constantinopoli, et a Fagio repetita in ejusdem *Sententiis Ben Sirae* 1542. 4°. Complures denique graecae illius Versionis exstiterunt Recensiones, magis minusve auctae et mutatae, sed ex solis Versionibus notae. *Prima* est *latina Versio*, *ante* Hieronymum ex graeco fonte orta; *altera* est Versio *latina*, quam ex *textu chaldaïco* vertit Hieronymus; *tertia* Versio est *syriaca*, ex graeco textu quodam orta; et *quarta*, versio *hebraïca*, a Munstero edita Basil. 1542, et in Polygl. Lond., Tom. IV recusa.

(2) 2 Chr. XXXIV. 6, 7, 9.

de *Sacerdote*, *Bethelem* petente, ibique *Cultum Jahves antiquum instituente.* Is sane *Bethelem* non tantum adiit, quia locus erat antiquitus sacer habitus, et in Gentis traditionibus adeo celebratus, Cultuque sacro per longum temporis spatium nobilitatus. Urbs sine dubio etiam supererat, incolis, iisque Israëlitis, quibus is locus carus fuerit, frequentata. — Ex loco Jerem. laud. item conjicias, *Samariam*, si haec urbs, postquam ab Assyriis expugnata erat (1), devastata sit (quod Michae (2) auctoritate sumitur, et *post diuturnam obsidionem* verosimile est), brevi deinde restauratam esse. — Perperam autem Hengstenbergius (3) opinatus est, 80 viros, quos diximus, *Judaeos* fuisse; eos scilicet, Chaldaeis in Judaeâ saevientibus, fugam cepisse, Hiërosolyma vero rediisse, quum audivissent, se, Gedaljâ rerum publicarum moderatore, fore incolumes. — At sermo ibi fit non de eorum *reditu in patriam*, sed de *adventu*, ut *sacrificia offerrent* in loco sacro, a Gedaljâ *Mizpae*, ut videtur, condito. *Hiërosolyma* nimirum non intelliguntur, sed *Mizpa*, quae Gedaljae imperii sedes erat (4). — Si denique statuitur *scrobes*, in quibus terrae proventus depositi esse dicuntur (5), Mizpae fuisse propinquos, et *decem* viros, qui, quia scrobes habebant, non interficiebantur, *Judaeos* fuisse, exinde non sequitur, *reliquos* 70 etiam fuisse Judaeos.

Graviora videntur ea, quae Hengstenbergius excogitavit, ut argumenta, quae ex memoratis Hizqiae rebus gestis petuntur, labefactet. Existimat nempe, non Schalmanazarem, verum Azarhaddonem demum omnes Israëlitas abduxisse (6). »Schalmanazar," Hengst. inquit, »2 Reg. XVII. 24 intelligi nequit, quia *rex Assyriae*, hoc nomine ibi com» memoratus, *ex Babele* Colonos deduxisse fertur; *Babylonia* autem *sub Azarhaddone* » *demum Assyriis subjecta est.*" Hoc, quod certo affirmatur, admodum dubium est; nam Schalmanasar, in Palaestinam usque penetrans, Babyloniam jam subjecisse videtur: Praeterea Assyriis eam regionem *ante* subjectam fuisse, *quam Azarhaddon ad imperium pervenerit*, Berosus docere videtur, referens hunc regem, *patre vivo*, Regis assyriaci in Babyloniâ Vicarium fuisse (7). Sed si vel Azarhaddon, qui, ut liquet ex Esr. IV. 2, etiam Colonos in Palaestinam transtulit, quod eodem tempore fortasse egit, quo expeditionem in Judaeam susceperit, et Manassen, Judaeorum regem captivum secum duxerit, — si vel Azarhaddon, inquam 2 Reg. l. l. intelligitur, is non dicitur *relictos Israëlitas*

(1) 2 Reg. XVII. 6. (2) Mich. I. 6 seqq. (3) *Die Authentie des Pent.* I Bd., p. 12 seq.

(4) Vid. Jerem. XLI. 1—3, coll. cap. XL. 6, 10, 13.

(5) Jer. XLI. 8. De h. l. cf. etiam Bertheau l. l. p. 383.

(6) Hanc opinionem, *verbo* significatam l. l. p. 12 seq, *pluribus* exposuit in *Beiträge zur Einl. in 's A. T.*, I Bd. p. 177 seqq.

(7) Winer *Realwörterbuch*, ed. 2a voc. *Esarhaddon*, ubi citat Berosi locum, ex Euseb. *Chron. Armen.* I. 43.

*abduxisse*, sed tantum *Colonos exteros in Palaestinam misisse. Illud*, ut H. contendit, ex *missâ coloniâ* non sequitur, neque effici potest ex verbis, *Colonos habitasse* תַּחַת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, quia Gentis *parte*, quae significatur vocabulis בני ישראל, olim abductâ, ac multis millibus gladio, fame et inopiâ, bellis saevientibus, ante consumtis, spatium sufficiens in terrâ erat, quod Coloni occuparent. — »At *Leonum numerus* porro »ibidem magnopere increvit," ait noster, »quod *omnium Israëlitarum* abductionem sane »confirmet!" — Verum exinde tantum apparet *terram incolis non valde frequentatam esse.* Vere H. observat, 2 Reg. XVII nullam *necessitudinis*, *quae Israëlitis in terrâ relictis cum Colonis intercesserit*, mentionem factam esse. Sed num idcirco statuendum est, *nullam* fuisse, nullosque Israëlitas amplius fuisse superstites? Verosimile est, commercium Indigenas inter et Colonos primum non fuisse frequens. Hi videntur potissimum *urbes* quasdam ante eversas restituisse; *Samariam* fortasse, *Scythopolin*, alias; ac viam monstrasse aliis Exteris (ac postea Graecis praesertim), qui deinceps ex variis terrae tractibus eo se conferrent. Parum autem hi Peregrini indigenas curasse videntur, qui *rure* et in *pagis* maxime habitabant. Quos quoniam illi spernebant, ipsos iidem in oratione ad Judaeos, et in Epistolâ ad Regem Persarum (Esr. IV), silentio omittunt. Haec si tenentur, et probabilis Indigenarum conditio si attenditur, tollitur dubium ab H. mox motum. »Si, »(inquit), Israëlitae superfuissent, hi suos habentes Sacerdotes, ac suam ipsi Reli- »gionem vel leviter cognoscentes, Colonos erudire potuissent. Hi contra Regi Assyrio- »rum declararunt, Cultum Indigenarum se prorsus ignorare (1)! — At Sacerdotes aderantne? an potius, primarium locum in captivorum numero vulgo tenentes, *omnes* abducti erant? Et, si Iahves Sacerdotes *inferioris classis* remanserint, num credibile est, iis temporibus, quibus Gentium Sacra, ante a multis jam celebrata, Cultu Colonorum favente, reflorescebant, illum Jahves Cultum ab iis Sacerdotibus integrum servatum esse? Hujus notitia in Gente indoctâ sine dubio ita tenuis et imperfecta fuit, ut non sufficeret aliis erudiendis, et vero minime Cultui restituendo. Quod ut rite ac sollenniter fieret, Sacerdos aliunde arcessendus erat, qui, majore doctrinâ instructus, et auctoritate aliis superior esset. Hic tantum Cultum neglectum restaurare, eumque restauratum tueri poterat, et vindicare. Miserrimam enim fuisse post Regnum eversum inter Israëlitas Religionis conditionem, ex vicinarum Gentium Cultu apparet, Josiae aetate laete inter eos vigente. Hunc, longe lateque *per urbes Samariae* propagatum, Rex exstirpare studebat (2), quin imo *aram Bethelis cum omni apparatu* devastavit (3).

---

(1) 2 Reg. XVII. 26. (2) 2 Reg. XXIII. 19, 20; 2 Chr. XXXIV. 6, 7.

(3) 2 Reg. XXIII. 15—18. Cum his conferantur, quae Bertheau de conditione Cultûs inter superstites Israëlitas, et Colonos advenas observavit, l. l. p. 366—368.

Ex locis modo laudatis, merito ergo efficitur, praeter *Colonos* multos etiam *Indigenas* in terrâ tunc superfuisse. Ut hanc argumentationem subvertat, H. praeterea contendit, locum 2 Reg. XXIII. 20 ita explicandum esse, ut Sacerdotes a Josiâ trucidati, iidem esse censeantur, qui in loco 2 Reg. XVII. 32 obvii sunt. Verum si inter interfectos Sacerdotes fuerint *idololatrae*, non necesse est, ut statuamus, hos ex *Colonis* tantum creatos esse. *Sacerdotes collium* ii etiam dicuntur, qui *Jahves* Cultum profitebantur. Multosque *Israëlitas* hunc Cultum sive solum, sive cum aliis Sacris commixtum, amplectentes Josiae aetate in Palaestinâ vixisse, ex 2 Chr. XXXIV. 9 elucet, ubi Regis Legati dona accepisse dicuntur *ex manu Manassitarum, et Ephraïmitarum, et ex omnibus reliquiis Israëlitarum, atque ex Judâ universâ et Benjamine*. Ex additis *ex universâ Judâ et Benjamine*, videmus Scriptorem non cogitasse Israëlitas, *in mediis Judaeis* habitantes.

Non temere igitur mihi statuisse videor, *universi* Regni Ephraïmitici ratione habitâ, *parvam* ejusdem civium *partem*, Viris constantem dignitate, divitiis et ingenii facultatibus conspicuis, in exsilium abiisse. Superstitum numerus deinde auctus est, ut MICHAËLIS (1) recte observat, multis Israëlitis profugis, qui grassantibus turbis civilibus, ac bellis cum Exteris gestis, in terras vicinas se contulerant, rebus vero sedatis in Palaestinam redierint.

## §. 4.

### *De Terris, in quas Israëlitae Exsules abducti sunt.*

Quaestio de *terris, quorsum Israëlitae Exsules abducti sint*, de quâ inter Judaeos et Christianos variae diu circumferebantur opiniones fabulaeque aniles (2), nostrâ aetate magnos fecit progressus, edito Libro, anglice scripto, et germanice verso, hoc titulo: *die Nestorianer oder die zehn Stammen. Reisen durch das alte Assyrien, Armenien, Medien und Mesopotamien, Schilderung der kirchlichen und häuslichen Gebräuche und Sitten der Nestorianer* cet., *von* ASAHEL GRANT, *Med. Doct.* [a Societate americanâ Religioni christianae propagandae in Persiam misso], *im Auszüge ubersetzt von* J. PREISWERK, Basel 1843. De versione vernaculâ, ac de hac ipsâ quaestione multis exposuit cl. VETH, in Repertorio, cui titulus est *Gids* 1845, N°. 9 et 10.

In locis Jes. XI. 16 et 2 Reg. XV. 29 *Assur* tantum memoratur, quia regiones 1 Chr. V. 26, 2 Reg. XVII. 16 et XVIII. 11 nominatae, Assyriorum dominio subjectae erant.

---

(1) l. l. p. 35 seq.

(2) De his vid. v. c. BASNAGE l. l. Libro VII. c. 2 seqq., et J. J. HOTTINGER in Diss. *de Samaritanis primis eorumque in Assyriam deportatione*, in Sylloge, cui nomen *Πέντας Diss.* Traj. 1723. 8°. p. 359—500. BERTHEAU l. l. p. 368 seq.

Terram non definivit Jeremja, universe loquens (III. 12, 18, XXX. 10, XXXI. 8, 16, 17) *de regione septentrionali*, s: *longinquâ*, *de terrâ hostium*, *de terrae lateribus*.

Collatis autem locis 1 Chr. V. 26, 2 Reg. XVII. 6 et XVIII. 11 videmus Exsules a Tiglath Pilezare et Schalmanazare abductos, in easdem fere regiones delatos esse. Primum memoratur חֲלַח, quae non diversa est a כָּלַח (Gen. X. 11), id est Provincia assyriaca, a Strabone (XI. 14 en XVI. 1) dicta *Καλαχηνή*, a Ptolemaeo (VI. 1) *Καλακινή*, ac sita a septentrione Adiabenes, sive terra media inter utrumque fluvium *Zabi*. In hac Provincia, teste Grantio (vid. cap. XII), hodieque Nestoriani habitant. Israëlitarum Colonia hinc fortasse olim deducta esse videtur, meridiem versus in tractum Holwanis, nunc etiam dictum a Syris ܚܠܚ, ubi ante sedes erat Episcopi nestoriani.

Deinde sermo est de חָבוֹר נְהַר־גּוֹזָן (*Chabōrâ*, *fluvio Gozanis*). Non enim spectatur Chabōras *Mesopotamiae*, in vaticiniis Ezechielis, iisdem literis permutatis, dictus כְּבָר, ad cujus oras hic cum *Judaeis* Exsulibus, in *Babyloniam* abductis, degit; sed intelligitur ejusdem nominis fluvius in *Assyriâ*. Utrumque bene distinxit Auctor Lexici geographici in loco jam edito ab Alb. Schultensio in *Indice geographico*, apposito *Vitae Saladini*, ad vocem *Chaboras*, ubi, ut cl. Veth l. l. N°. 10, p. 745 seq. indicavit, pro راس العين legatur راس عين, et pro الدوران, الزوزان, ex cujus terrae montibus Chaboras Assyriae fluere dicitur. Designatur nempe *hoc* nomine proprio arabico terra a Ptolemaeo *Γαυζανῖτις*, et hodie, ut Gesenius in Lexicis ait, *Kauschan*, ac referente Grantio, *Zozan* dicta; Graecis vero nota maxime *Adiabenes* nomine, orto et corrupto, ex voce *Zab* cum Articulo pronuntiatâ, et z in *dj* mutatâ, ut cl. Veth l. l. additis exemplis illustrat, et adscripto hoc loco Ammiani Marcellini (XXIII. 6, 20): *nos*, inquit, *autem didicimus*, *quod in his terris amnes sunt duo perpetui* Diavas *et* Adiavas, *juncti navalibus pontibus*; *ideoque intelligi Adiavenam cognominatam*. Terra ergo variis iis nominibus nuncupata, in Codice hebraïco גּוֹזָן dicitur, cujus fluvius, secundum Grantium etiam ex Assyriae montibus ortus, in Tigridem delabitur, hodieque *Habōr* vocatur.

Loco 1 Chr. V. 26 inseritur וְהָרָא, quod neque 2 Reg. XVII. 6, neque ibid. XVIII. 11 legitur, neque in Chronicorum l. l. sive a graeco alexandrino Interprete, sive a Syro vertitur. Arabs reddens: والى حافر خلف نهر كوزن (*et ad Hāfarum ab alterâ parte fluvii Kūsani*) legit: וּלְחָפַר הַלְאָה נְהַר גּוֹזָן. Sine dubio igitur וְהָרָא est glossa alicujus librarii, qui quum legeret: וְחָבוֹר נְהַר גּוֹזָן, quia fortasse sciebat, Israëlitas se non tantum *ad oras* fluvii, sed per *regionem montanam* longe lateque propagasse, Aramaeorum more in sui Codicis margine adscripsit: וְהָרָא (*et in montem*, sive *tractum montanum*).

Quà voce in textum insertâ, copula etiam ante נְהַר addita, in exemplo vero Interpretis arabis הַלְאֹרָה ex וְהָרָא corruptum est.

Praeterea in locis 2 Reg. laudatis, additur וְעָרֵי מָדָי, non vero in l. l. Chron., ubi tamen in Codicibus hebraïcis, quibus utebantur Interpretes syrus et arabs, haec verba ex iis locis adjecta erant. Ac *Mediae urbes* memorari inter loca, quorsum Israëlitarum Exsules abierint, quis miratur? Hi in dictas regiones translati, Mediae jam erant propinqui, et in eam certo multi brevi migraverint, praesertim, postquam Medi, Regno assyriaco everso, has terras expugnarunt, adeo ut credibile sit, Libri Regum Auctorem Exsules in *Medorum urbibus* degentes cognovisse. Fieri ergo potest, ut ipse in Chronico, quo usus sit, non plura legerit, quam Scriptor Chronicorum, utque de suo verba וְעָרֵי מָדָי iis locis una cum aliis notitiis, de quibus supra diximus, apposuerit. Haec verba in Codice hebraïco graeci alexandrini Interpretis, vertentis utroque Libri Regum loco *καὶ ὄρη Μήδων*, in וְהָרֵי מָדָי corrupta, ac sic fortasse jam lecta sunt a glossae auctore, qui וְהָרָא loco illo Chronicorum adscripsit; quae res simul causa esse potuit, quare is *montanae regionis* mentionem necessario addendam esse opinatus sit.

De his 10 Tribuum Exsulibus postea raro sermo fit. Terrarum, in quas primum abducti sunt, conditione, *rei pastoriliae aptissimâ*, consideratâ, haud pauci cum gregibus vitam egerint nomadicam, quam hodieque multi eorum posteri amant, cujusque vitae indicia *tribuum divisio* et *patriarchalis regiminis forma* nunc item servant. Alii, in *urbibus* habitantes, mercaturae praesertim operam dederint. De Israëlitis v. c. in urbe *Ninives* degentibus Liber Tobiae loquitur, ibique permulti alii Israëlitae cum Tobiâ morati esse dicuntur (I. 10). Ex *Mediae* urbibus, in quibus iidem versabantur, *Ecbatana* ibi memoratur (III. 7), et *Rages* (I. 14, IV. 1 et V. 5), quâ in urbe Medorum Reges tempus vernum transigebant. Israëlitae ergo, per Mediam se propagantes, ut in aliis terris Judaei, majores urbes, mercaturâ maxime florentes, elegisse videntur.

His locis, si vera sint, quae de tobiani Libri aetate p. 22 conjeci, Israëlitas *proximo ante Christum seculo* superfuisse, ex eo Libro etiam apparet. Idque aliis item testimoniis confirmatur, ubi de iisdem *post Christum natum* fit sermo. Primum in his locum tenet Josephus, qui, ut Tobiae Libri Scriptor, incolas Adiabenes *fratres Judaeorum* habere non dubitat. In *Antt.* XI. 5. 2. Ezram misisse contendit exemplum Epistolae, quam Rex Persarum ad ipsum scripsisset, cujusque argumentum cum Judaeis babyloniis communicasset, *ad omnes Gentis israëliticae socios* (*ὁμοεθνεῖς*), *in Mediâ degentes*. Ex Judaeis multi porro cum eo Hiërosolyma profecti esse dicuntur; *at omnis Israëlitarum Gens*, ut ait, *in suâ terrâ mansit*, quae causa erat (sic pergit), ut duae tantum Tribus (Judae et Benjaminis) per Asiam et Europam (ipsius aetate) *Romanorum* imperio sub-

jectae essent. Exsules nempe 10 Tribuum Regi Adiabenes erant subditi. His dictis haec JOSEPHUS de immenso Israëlitarum in mediâ Asiâ numero addit: *αἱ δὲ δέκα φυλαὶ πέραν εἰσιν Εὐφράτου ἕως δεῦρο, μυριάδες ἄπειροι, καὶ ἀριθμῷ γνωσθῆναι μὴ δυναμέναι.* Tum in aliorum, tum in *horum* etiam gratiam testatur JOSEPHUS Libros se scripsisse de *Bello judaïco* (Prooem. Libri I[i] §. 2). Ac frequens ipsius aetate fuisse Judaeorum palaestinensium cum iis Israëlitis commercium, novimus non modo ex ejus *Antt.* XX. 2 (quo loco narrat, Helenam Adiabenorum Reginam, cum filio Izate, eorumdem Rege, Judaeis operantibus Religionem judaïcam amplexam esse; imo *hunc*, aegre ferentibus Adiabenis, *circumcisum*, *illam* vero iter Hiërosolyma instituisse), sed ex oratione item Agrippae ad Judaeos habitâ, ut his bellum cum Romanis dissuaderet (de *B. I.* II. 16. 4.). *Num spem*, is quaerit, *Judaei extendissent in terras ab altero Euphratis latere, et in populares adiabenos* (*τοὺς δὲ ἐκ τῆς 'Αδιαβηνῆς ὁμοφύλους*)?

Paucae et plerumque fabulosae sunt Judaeorum in Talmude et Rabbinorum Scriptis de 10 Tribubus relationes. Non prorsus quidem ii Exsules apud illos in oblivionem abiisse videntur, at commercio eorum cum ipsis in dies magis interrupto, ac Tribuum earum conditione valde mutatâ, Judaei de iis minus solliciti facti sint, odiumque in eas susceperint. Sic explicatur *Peregrinorum consummatorum* nomen, quo seculo 3° Rabbi JEHUDA 10 Tribus appellat, et *Praeputiatorum*, quo in Talmude hierosolymitano nuncupantur (1).

A Judaeis item magistris HIERONYMUS (saeculo 4°) acceperit, quae de iisdem scripsit. Ad *Osee* cap. I., *Decem*, inquit, *Tribus captae sunt a Salmanasar rege Chaldaeorum, et in Medorum montibus collocatae;* et ad cap. II, *usque hodie*, ait, *Persarum regibus* (Sasanidis) *serviunt* (Israëlitae), *et numquam est eorum soluta captivitas.*

Non plura neque uberiora de iis Tribubus ex antiquitate testimonia superesse, graviter dolemus. Quae jactura quo tristior, eo gratius est GRANTII supra memoratum Opus. Quo considerato, et cum Historiâ collato, obscurum istud seculorum intervallum, per quod illa Gens in iis terris degit, quodammodo illustratur.

Judaeorum nimirum cum iis commercium non modo interruptum esse videtur bellis perpetuis, a Romanis primum cum Parthis, deinde cum Sasanidis gestis, sed in primis ipsâ quam dixi, 10 Tribuum conditione valde mutatâ. *Major* nempe *earum pars*, *postquam universa fere ipsarum Gens ad Judaïsmum* ante *transierat*, *ad Religionem Christianam conversa est.* Judaeorum videlicet easdem ad Mosaïsmum ducendi conatus non felicem habuisse eventum, non exinde sequitur, quod narrante JOSEPHO (*Antt.* XX. 2) Izati continuo circumcisionem dissuadebant, ne scilicet, *Gentis* animum a se abalienaret. Gens

(1) JOST, *Gesch. der Isr.* IV. p. 219 seq., et V. *Anhang.* p. 13.

enim ejus, *Adiabenes Rex* licet appelletur, non *Adiabenes incolis* tantum constabat, et Adiabene ipsa non solis 10 Tribubus tunc frequentata fuisse videtur. *Graecorum* sine dubio, et aliorum Exterorum numerus ibi permagnus fuit. Et fortasse non *his* tantum displicebat circumcisio, sed *multis* item *10 Tribuum posteris*, qui ceterum Judaeorum Religionem amplectebantur. Nam Regis *ad Judaïsmum conversio* populum non adeo offendisse dicitur, sed ipsa *circumcisio*. Quae si a multis ibi neglecta fuit, causa est in promtu, quare turpe *Praeputiatorum* nomen iis, ut vidimus, a Judaeis datum sit. Et haec sententia illustratur item, et magis profecto commendatur, si Judaeorum Historiam consulimus. Major enim horum Exsulum pars, graecis moribus assuefacta, a circumcisione pariter aversa fuisse videtur, atque Judaei *ἑλληνίζοντες*, qui, Antiocho epiphane regnante, ne *externam* Judaeorum notam gererent, *ἐπισπασμὸν* instituerunt. Simili igitur modo, quo hi Judaei, sic ii Israëlitae Mosaïsmum, quantum fieri potuerit, cum consuetudinibus et opinionibus, tunc receptis, conciliare studuerint. Nihil enim impedit, quominus statuamus, — et vero collatio sortis, quam Religiones alio translatae, varias ob causas vulgo passae sunt, ut sic statuemus, postulat, — Mosaïsmum inter 10 eas Tribûs propagatum, non immunem fuisse efficaciae, quam in ipsum exercuerit priva harum indoles. Haec enim vi obnoxia erat tum Exterorum, qui in mediis iis versabantur, tum etiam vicinarum Gentium, Persarum in primis, quorum cogitandi ratio v. c. in ipsâ maxime orientali Ecclesiâ christianà turbas adeo multas postea excitavit. A Mosaïsmo hocce *liberaliore*, ut ajunt, Helena Regina, filio circumcisionem dissuadens, non aliena fuisse videtur. Filium ad *severiorem* inclinasse, Judaeis ipsum instigantibus, tribuendum est.

Ut autem ex horum principum hominum ad Mosaïsmum conversione luculenter etiam apparet, per Adiabenen eum latissime propagatum fuisse, ita ex aliis indiciis hoc praeterea constat. Idem v. g. elucet ex magno eorum numero, qui eum hodieque ibi profitentur, quorum Grantius *viginti millia*, *Christianorum* vero *ducenta millia* ibi nunc esse contendit. Porro horum Christianorum *nomen* et *instituta* illud confirmant. *Nestorianorum* nomen nimirum, quo ii nobis innotuerunt, ab Exteris modo ipsis datum est. Nomen est, quo Christiani occidentales Christianos, in Persiâ viventes, olim nuncupabant. Ii contra, dum Nestorium, anno 431 damnatum, magni quidem faciunt, sed Euangelii doctrinam ab eo se accepisse negant, *Nazaraeos* se ipsi appellant, quo titulo prioribus aerae nostrae seculis Christiani designantur *ex Judaeis* oriundi.

De ipsorum institutis judaïcis, cap. XVI Grantius egit. Omnia, ut ait, ii ex his retinuerunt, quae cum Religione christianâ conjungi posse ipsis viderentur: 1) *sacrificia eucharistica*; 2) *votum Naziraeatûs*; 3) *primitias*, quas *Ecclesiis* et *Scholis* solvunt; 4) *sabbathi* instar primum celebrant diem hebdomadis, cui praemittitur *παρασκευή*; 5) *Ecclesiarum ratio interna* ad normam Templi hiërosolymitani est composita. Locus ibi est *sanctus* (קֹדֶשׁ), ubi *crux* tantum conspicitur, et in quem intrare *solis sacerdo-*

*tibus mundis*, *post institutum jejunium* permittitur. 6) *Immundos* se reddi opinantur *corporibus mortuis hominum*, *qui ad Coetum christianum non pertinent*, *tangendis*. 7) Opinionem servarunt *puerperas* esse *immundas*, *iisque opus esse lustratione*, ita tamen, ut *sacrificii expiatorii* loco usus iis succedat *Coenae sacrae*. 8) Ab usu abstinent *carnis suillae*, 9) *Bis quâque hebdomade jejunium* observant. 10) *Baptismum octavo* post nativitatem *die* administrant, et in festis agendis, quoad ejus fieri possit, veterum Hebraeorum instituta sequuntur.

Si Nestorianis fides habeatur, Religionis christianae doctrinam hi acceperunt a *Thomâ*, *Bartholomaeo*, *Thaddaeo*, et ab Apostolorum Discipulo, *Mare*. Ipsa loca ostendunt, ubi hanc ii docuerint. Quid de his traditionibus statuendum sit, accuratiori indiget disquisitione. Hoc tamen constat, 3° post Christum seculo eam Religionem per has terras propagatam fuisse. Pluribus eâ de re Grantius loquitur cap. XIX.

Hos *Christianos* ex unâ eâdemque Gente cum *Judaeis*, in iis regionibus degentibus, oriundos esse, ex *nomine* videmus *filiorum Israëlis*, quo *illi* semet ipsi, et quo Moslimi, quin *iidem Judaei*, ipsos ceteroquin odio persequentes, eos Christianos nuncupant. Praesertim vero communis eorum origo manifesta est ex *faciei lineamentis*, et ex *linguâ*, quam iidem Judaei, separatim licet ab his Christianis viventes, cum ipsis communem habent. Grantius (capite XIV) hanc descripsit, tamquam Dialectum syriacam, quâ alibi nec Judaei utuntur, neque ipsi Christiani syriaci, qui suam Linguam avitam in Libris sacris legendis, et Cultu sacro moderando tantum servant.

Ex dictis igitur, potissimum ex *faciei lineamentis*, et *linguâ* sane probabile est, horum Nestorianorum et Judaeorum majorem partem ex 10 Tribuum Exsulibus ortam esse. Alia tamen insuper addi possunt. Ne dicam de *moribus socialibus*, prorsus *hebraïcis*, de quibus c. XVIII exposuit Grantius, et de *nominibus hebraïcis*, Baptismi occasione datis, *regiminis* attendamus *formam patriarchalem*. Unaquaeque Tribus suum habet *Malek*, cujus tamen auctoritas *antea* major fuerit, quia Patriarcha, quae *summi* velut *Sacerdotis* vices gerit, unicus *nunc* est Civitatis Moderator, Legumque Vindex. Lex porro *mosaïca* solus est Legum Codex. Tantummodo nonnulla praecepta pro variis temporum rationibus sunt mutata. *Asyla* v. c. non amplius *certae quaedam* sunt *urbes*, sed *Ecclesiae*. Qui in has fugit, et casu fortuito alium interfecit, a Senioribus, *lutro soluto*, absolvitur; qui contra deditâ operâ caedem patravit, ut quondam, sanguinis traditur Vindici. *Prisca* Tribuum *nomina* licet fere obsoleta sint, *divisio* tamen *in Tribûs* retenta est. Familia tantum Patriarchae, ut Grantius cap. XVII tradit, suam originem ex *Naphthalitarum* Tribu derivat. Ac *Judaei* quidem posteros se esse 10 Tribuum ab Assyriis translatarum, contendunt; *Nestoriani* vero, qui per multorum seculorum intervallum ejus rei obliti esse videntur, ingenue fateri dicuntur, tempus se ignorare, quo Patres eo venerint. Sed quid mirum? Haud pauci nempe posteriore tempore, primum Moslimorum, deinde Mogo-

lorum expeditionibus excitati, ex variis Syriae partibus in Assyriae montes confugisse videntur. Et fortasse ne *omnes* quidem, ibi nunc habitantes, *Judaei* ex iis Exsulibus orti fuerint. Fieri enim potest, ut multi *Judaei*, proprie sic dicti, mercandi causa illuc item se contulerint, et cum iis Tribubus temporis decursu coaluerint. Quae vero et si ita sint, nihil tamen obstat, quominus partem longe majorem hodiernorum Nestorianorum et Israëlitarum judaïzantium cum GRANTIO posteros habeamus Exsulum ab Assyriis delatorum. In Assyriâ hos etiam nunc superesse, Judaei in Indiâ hodie degentes, eodem monente, item affirmant, quamquam multorum ad Religionem christianam transitum ii non cognoverunt.

Itaque de *abductorum* Israëlitarum *reditu*, vix amplius sermonem esse posse, ex dictis constat (1). *Omnes* tamen abductos rediisse samaritani Libri Josuae Auctor c. XLV tradidit, addens praeterea Colonos, quos *Persas* dixit, ante in Palaestinam translatos, in suas item regiones reductos esse. In quâ fabulâ fingendâ Samaritani Judaeorum de ipsorum Exsulum reditu relationes manifesto imitati sunt, ut Gentis honori sic consulerent. Melius statuit alius Samaritanus, ABU 'L-FATHUS in Chronico (2), majorem eorum partem in terris exteris remansisse. Idem JOSEPHUS etiam contendit (3).

Et hunc eventum facile jam divinare potuisset, quicunque vel solam plerorumque judaeorum Exsulum agendi rationem reputasset. Hi, si ab *Hiërosolymis* inde *eversis* Exsilii annos numeras, per 52; si vero a *primâ ejus Urbis obsidione*, per 70 annorum spatium, peregrino Babyloniae solo ita assuefacti sunt, ut inde reverti nollent; multo magis de Israëlitis idem exspectandum, 134 annis ante (tot enim anni inter Samariae et Hiërosolymorum eversionem praeterlapsi sunt) ex Patriâ remotis.

Verum est, Prophetas *Israëlitarum* etiam *reditum* vaticinatos esse (4), sed Historia eventum ignorat. Haec tantum confirmavit, quod iidem, nonnullos in mediis Idololatris attendentes, qui Jahves Cultum sequebantur, non sine ratione sperare poterant, fore ut meliores hae notiones, et saniores animi sensus, progressus in dies majores facerent.

Si qui ergo reversi sint, perexiguus horum numerus fuerit (5). Hos, *perpaucos* licet, in mediis Judaeis postea superfuisse, Judaeorum etiam est opinio. Non modo ex N. T.

---

(1) J. D. MICHAËLIS praeter alios hanc item quaestionem expendit in Commentatione jam laudatâ *de exsilio X Tribuum*, p. 40 seqq.

(2) In pericope, editâ a SCHNURRERO in PAULUS *Memorabilien*, Tom. II. p. 64.

(3) In loco supra laud. *Antt.* XI. 5. 2.

(4) Jerem. III. 12 seqq.; cap. XXX et XXXI; Ezech. XXXVII. 21 seqq.

(5) In loco 1 Chr. IX. 1 seqq. non de Ephraïmitis et Manassitis, qui *post reditum ex captivitate* Hiërosolymis habitarent, sermo fit, sed de iis, qui *ante Exsilium* eo se contulerint. Videntur intelligi *Levitae* et *Sacerdotes*, in urbibus earum Tribuum olim habitantes, qui *post Regnum scissum* Hiërosolyma petiverint. De eo monumento historico vid EWALD. *Geschichte des Volkes Israël*. I. p. 230, coll. p. 223.

id patet (1), sed fortasse ex *12 hircis* item, *pro numero 12 Tribuum*, ut legimus Ezra VI. 17 in novi Templi initiatione sacrificatis, quo ritu non tantum prisca populi divisio in memoriam revocata esse videtur, sed Israëlitae etiam spectati sint partim *reduces*, partim et praesertim, quos nemo tunc ignorabat, *alibi viventes*.

## §. 5.

### *De Colonis, ab Assyriis in Palaestinam deductis.*

Expositâ quaestione de *Terris, in quas multi Israëlitae abducti sunt*, et de *fatis ipsorum*, ad Gentem redeamus in Palaestinâ relictam.

Gens samaritana *maximam partem* licet *Israëlitis* constans, his tamen *solis* non composita fuit. *Coloni* etiam in censum veniunt, qui, ut Gentem penitus cognoscamus, et sequentium temporum Historiam recte intelligamus, minime omittantur. Magnam enim hi vim exseruerunt in ipsos Israëlitas, quo factum est, ut hi sensibus, ingenio et linguâ, a Judaeis multo dissimiliores facti sint, quam, si Gens integra mansisset. Namque novi Advenae primum quidem, ut diximus, ab Indigenis separatius vixisse videntur. *Illos* superbia quaedam retinuerit; *hos* metus, animus suspicax, aversio. Verum unâ in regione diutius viventes, mutuum commercium semper evitare non potuerunt. Quod quum invalesceret, paulatim se arctius conjunxerunt, et in unam Gentem tandem coaluerunt, permulta sensim a se invicem mutuantes. Advenae Indigenarum *Religionem*, Veterum more cum suis Sacris copularunt, Deum Israëlitarum Numen existimantes, Palaestinae benevolum (2). Receptâ autem Israëlitarum religione, *moribus* ipsorum *linguae* et *scripturae* inviti fere mox se accommodarunt.

Magna contra *Colonorum* etiam erat in Israëlitas efficacia, nec pauca hi illis accepta referebant. Servatis religioni, moribus; linguae, fieri aliter non potuit, quin alieni quid, Colonis proprium, paulatim admisceretur. Quod ii Israëlitae praesertim fecerint, qui gentilium Sacrorum amore ferrentur. *His* societas cum Colonis grata sine dubio fuit, ut ipsorum *Posteris* arctior cum aliis Exteris necessitudo. Sic factum est, ut Gentium Sacra, in terrâ 10 Tribuum firmius quam antea fundata sint, novoque colore identidem tincta, per multa secula floruerint. Audiamus modo Scriptores romanos (3), de *Carmeli montis* suo aevo *sanctitate* verba facientes; et superstitionem attendamus, cujus fontes Jordanis

---

(1) Matth. XIX. 28, Luc. II. 36, Act. XXVI. 7, Jac. I. 1, Apoc. XXI. 12.

(2) Vid. Bertheau l. l. p. 366 seq.

(3) Sueton. *Vespas.* c. 5. Tacit. *Hist.* II. 78.

postea theatrum fuerunt quam diutissime, Ipse Jahves Cultus, a primigeniâ Cultus mosaïci simplicitate adeo jam degeneratus, graviorem etiam, quum a Colonis esset adoptatus, ex connubio cum ipsorum Sacris, corruptionem contraxit. Quae causa fuerit, ut multorum Israëlitarum melius sapientium animi, a Cultu Proavorum magis in dies alienati, cum Judaeis potius se conjunxerint. Ac jam duplex studium in Regno Israëlis ante conspicuum, alterum *peregrino*, alterum *patrio* Cultui favens, per Colonorum adventum acrius excitatum, effecit, ut Gens samaritana in duas veluti partes tandem scinderetur, quarum pars inferior primum latuit in locis, a Judaeâ haud procul remotis, ubi in montanis Sichemi tractibus, ob majorem loci securitatem tutius, et in secessu vivebat.

In alias res hocce cum Colonis et Exteris commercium suam item vim exseruit. In *agrorum* puto *culturam*, in *mercaturam*, *artiumque studium.* Haec enim Regno ephraïmitico ad finem vergente languentia, brevi iterum instaurata sunt, ut conjicere licet ex prosperâ conditione, quà Gens samaritana haud ita multo post fruebatur. Colonis auctoribus id praesertim tribuendum. *Agrorum culturae* insignis quidem favebat soli fertilitas, sed agriculturae peritia ad hanc juvandam et promovendam simul postulabatur; quâ laude si *Israëlitae*, *Coloni* ii potissimum inclaruerunt. Egregia, quae Israëlitis semper fuit, *terrae proventus* aliis *vendendi opportunitas*, statim post sedatos tumultus, denuo offerebatur (1). Nec modo cum Civitatibus maritimis, Palaestinae vicinis, sed ob arctiorem necessitudinem, quam Israëlitae contraxerant cum tractibus, in quos multi ipsorum fratres abducti erant, et quam Coloni cum Patriâ servabant, *commercium* cum urbibus Mesopotamiae, Assyriae, Mediae, Persiae, multo frequentius, quam umquam ante, evasit. *Artium studio* praesertim Coloni animos novos addiderunt. Magnos progressus Populi, ex quibus ii deducti erant, in artibus et doctrinis fecerant, adeo ut his colendis veteres Hebraeos longe superarent. — De his ergo Colonis uberius jam exponamus.

De Colonis ex terris, in quas Exsules a Tiglath Pilezare abducti erant, in Palaestinam translatis, nulla fit mentio; et, si vim tenemus verborum, quibus bellum describitur, quod Assyrii cum earum terrarum incolis gesserunt, credibile est, hos partim deletos, partim fugatos esse. In loco nimirum 2 Reg. XIX. 11 et 12, collato Jes. XXXVII. 11 et 12, Sanheribi Legati ipsius nomine ad Hizqiam sic dixisse feruntur: *ecce ipse audivisti, quae fecerint Reges Assyriae omnibus terris, ut harum incolas exstirparent* (לְהַחֲרִימָם); *et tu num salvus evaderes? Num hos salvos reddiderunt Dii Gentium, quum perdiderunt* (שִׁחֲתוּ) *Patres mei Gozanum* cet. Itaque verisimile est bellum istud saevissimum et atrocissimum fuisse. Regio ab iis Gentibus incolebatur asperis montibus fere inaccessa, cujus ea, ut Nestorianorum docet Historia, est conditio, ut incolae,

(1) Bertheau l. l, p. 363 seqq. 387 seqq.

quod Russi nunc in debellandis Gentibus Kaukasi experiuntur, vix vel ne vix quidem domari possint. Assyriis haec res melius quam Russis huc usque cessisse videtur.

In locis 2 Reg. XVII. 24, et Esr. IV. 9 de Colonis fit sermo, in *mediam Palaestinam* deductis. Gentium, ex quibus ii profecti sunt, nomina ibi recensentur. Quorum nonnulla nunc etiam obscura sunt, sed collatis notitiis, quas de iis Gentibus accepimus, quasque GESENIUS in *Thesauro* ad voces singulas tradidit, Colonos in duas classes dividere licet. Altera eos complectitur, qui ex populis *Palaestinae finitimis*, altera eos, qui ex terris remotioribus, *Assyriâ* et *Persiâ*, in primis vero ex tractibus *Euphrati* et *Tigridi* conterminis, oriundi fuerint. Minor, si *Babylonios* excipis, numerus eorum fuisse videtur, qui Esrae IV. 9 commemorantur. Ex *Dinaeis* enim, *Dahis*, aliisque, qui ibi enumerantur (quia hae Gentes in Assyriorum exercitu militabant), fortasse *nonnulli* tantum immixti erant catervis, quae in terris ad Tigridem sitis cum Babyloniis collectae, et *Cuthâ*, ut videtur, profectae sint. Magnus certo Colonorum numerus *indigenis* constitit, *regionum Palaestinae adjacentium.* Ex repetitis hoc officias Samaritanorum Sichemitarum apud Josephum dictis, quibus ii se *Sidonios* esse profitentur (1), quin ex *publicis documentis* id patere ipsi testati esse videntur (2). Quam ob causam, (quod tamen non affirmem) HAMAKERUS conjecit (3), Samaritanos, *Sichemi* habitantes, maximam partem *Sidonios* fuisse.

*Duas Colonias* in terram Israëlitarum abiisse, statuit item F. J. SCHWARZIUS (4), quarum altera ex *dissitis* regionibus ab *Assyriis* missa fuisset, altera *Phoenicibus* constans, soli virtute allecta, *ultro* in Palaestinam deinde migrasset. *Duas Colonorum catervas* distinguendas esse, non improbabile est: utraque vero, non modo *Assyriaca*, sed etiam *Phoenicia*, quia Phoenices etiam ab Assyriis subjecti erant, *ab Assyriis* videtur deducta esse. Fieri ergo potest, quod supra (p. 23) jam indicavimus, ut prior Colonia a *Schalmanazare*, posterior ab *Azarhaddone*, qui Esr. IV. 2 memoratur, missa sit.

Perperam sine dubio J. D. MICHAËLIS (5) statuit, *omnes* Colonos fuisse *Sidonios*, et *Cutham*, oppidum *Sidoni proximum*. Haec enim opinio ut locis supra laudatis refutatur, ita duobus iis, quos ex chaldaïcis Paraphrasibus attulit, probari nequit. Si *Cuthaeorum* nomen ibi revera spectatur, exinde hoc tantum apparet, Judaeos *Sido-*

---

(1) *Antt.* XI. 8. 6. XII. 5. 5. (2) *Antt.* XII. 5. 5.

(3) *Diatribe philol.-crit. aliquot monumentorum Punicorum interpretationem exhibens*, L. B. 1822, p. 67.

(4) *Exercit. hist.-crit. in utrumque Samaritanorum Pentat.* Witteb. 1756. 4°. p. 32 seqq.

(5) *Specilegium Geogr. Hebr. exterae* I, p. 104 seqq., coll. II, p. 4 seq., cum quibus tamen conff. ejusdem *Supplem. ad Lexica Hebr.*, p. 1253 seqq.

*nios*, quoniam Samaritani Sichemitae se ex *Sidone* oriundos esse dicebant, *Cuthaeos*, et *Sidonem Cuthaniam* nuncupasse. Nam vox צִידוֹן Auctor Paraphraseos in Pentateuchum ad Gen. X. 19 reddidit כותניים (1), alter, qui Paraphrasin in Libros Chronicorum conscripsit, ad 1 Chr. I. 13, כותניאם (2).

De quaestione *qui fuerint* ipsi Cuthaei, alii aliter olim judicarunt. JOSEPHUS (3) Gentem eos esse opinabatur, quae olim in *Persiâ* et *Mediâ* habitaret; cum eoque Veteres nonnulli consenserunt (4). Recte vero monuit RELANDUS (5), HYDIUM (6) secutus, Cutham nobilem urbem esse, *Babyloniae proximam*, ab Arabibus dictam الكوثى.

Ab hac ergo urbe istud *Cuthaeorum* nomen, quo Judaei Samaritanos nuncuparunt de-

---

(1) *Polygl. Lond.* Tomo IV.

(2) Conf. editio M. F. BECKII, utentis Cod. Erford., quem edidit Aug. Vind. 1680, T. I. p. 11. DAV. WILKINS, qui eamdem edidit Paraphrasin e Cod. Cantabrig. Amst. 1715, p. 4, vitiose habet בותְנִיאֵם. (3) *Antt.* IX. 14. 1 et 3, et X. 9. 7.

(4) In his Auctor *Chronici Alexandrini*, sive *Paschalis*, et ZONARAS, de quibus vidd. CELLARII *Collect.*, p. 12 seq., et *Exercit.* p. 12 seq. Ex hac de *Cuthaeis in Persiâ olim habitantibus* opinione fabula orta sit, inter Moslimos propagata *de persicis Gentis samaritanae originibus*, quae iisdem confirmari visa sit Tribûs cujusdam persicae nomine, cui Samaritanorum nomen iidem inesse opinati sint. Ab 'al-Maqrīzio haec fabula traditur. Vid. DE SACY *Chrest. Ar.* I, p. ١٠٨ et seq., quo loco Samaritani orti esse dicuntur: من بنى سامرك بن كفركا بن رى (in Cod. Leyd. n. 372 (c) (ابن رمى وهو شعب من شعوب الفرس خرجوا الى الشام ومعهم الخيل والغنم والابل والقسى والنشّاب والسيوف والوشى. Id est: *ex filiis Sāmiraci, filii Cafarcāi, filii Raïi* (s. *Ramāi*), *quae est Tribus ex Tribubus Persarum, nonnulli exierunt in Syriam, cum equis ovibusque et camelis, cum arcubus et sagittis, atque gladiis et vestitu colorato. De veste coloratâ et pictâ* nempe vocabulum وَشْىٌ alibi etiam usitatur; vidd. H. E. WEIJERS *Spec. Crit.* p. 164 n. 283, P. COOL *Select. ex Thaâlibii Libro facetiarum*, p. ١٣, ٩٨, et J. H. PH. VALETON *Ta'ālibii Syntagma dictorum brevium et acutorum*, p. ٣٩ l. 12. His tamen locis illa forma de *veste*, apud al-Maqrīzium *collective* sumitur; quae notio ceteroquin enunciatur formâ وشاءٌ, quam hic etiam ob proxime praecedentia collectiva exspectares. DE SACY l. l. p. 301 vocem vertit *baudriers;* quam versionem si quis praeferat, cum Doct. DOZYO (hanc conjecturam mecum aliquando communicante) is potius legat والوُشُح, si hac voce, de *mulierum* balteis usitatâ, baltei *virorum* intelligi possunt. Nuper de dictâ vocis وشى notione egit Vir doctus in *Hist. Abbad.* I, p. 86 seq. n. 75; — et in *Dict. dét. des noms des vêt. chez les Arabes*, p. 133 seq. et 437 etiam exposuit de significatione *panni pretiosi* (*une sorte d'étoffe pretieuse*), id est *ita colorati* et *picti*. Ex hac *panni* notione illa notio derivata, et utraque, ut in voce ديباج (*sericum* et *vestis serica*) eàdem formâ enunciata est.

(5) *Diss. Misc.* II, p. 67.

(6) HYDE *de rel. vet. Pers.*, p. 72 et 80. Etiam Abarbanel jam monuerat Cutham esse *urbem in terrâ Chaldaeorum*. Conf. locus ap. SCHWARTZ. l. l. p. 29. De duplici Cūthâ, a se invicem haud procul remotâ, et in Chaldaeâ sitâ (كوثى الطريق et كوثى رُبّا), monuit de SACY l. l. p. 331 seq. notâ 65.

rivandum est, idque in Scriptis apocryphis V. T. nullibi obvium, primum apud JOSEPHUM occurrit (1), cujus tamen aetate hoc multo certe antiquius est. Causam, quare Samaritani sic vocati sint, dum antea, ut 2 Reg. XVII. 29, dicebantur שֹׁמְרֹנִים, ELIAS LEVITA (2) hanc esse existimat, quod *major Colonorum pars Cuthaeis constiterit;* quam sententiam alii etiam, in his GROTIUS (ad 2 Reg XVII. 24), et CELLARIUS (l. l. l. l.) professi sunt. Id tamen, quia probari nequit, nec verisimile est, potius statuatur, nomen usu receptum esse, quoniam Colonorum remotiorum catervae *Culham confluxerint*, atque agmine facto *inde* simul profectae sint. Hocce autem *Cuthaeorum* nomen, quo igitur Palaestinenses omnes *ex Oriente* advenas *primum* nuncupaverint, *deinde* latiore sensu iis etiam Colonis tributum esse videtur, qui ex locis Palaestinae *propinquis* venerant. Ii fortasse tunc opinabantur *hos* etiam *Cuthaeos* esse, et in hanc opinionem facile induci potuerint, arctiorem attendentes necessitudinem, quae Samaritanis cum urbe Cuthae olim intercedebat: quae res, nullibi licet diserte memorata, verisimillima est. Namque ut aliarum Gentium Coloniae numquam Patriae statim oblitae sunt, ita illi ejusdem non memores esse non poterant. Nimirum non tantum venientibus ex locis Palaestinae conterminis, sed iis etiam, qui, ut Babylonii, ex longinquioribus regionibus oriundi erant, facillimum fuit catervarum ope, mercaturam perpetuo agentium, commercia non interrupta cum popularibus suis habere. Huic commercio *primum* favebat idem Cultus, quem Coloni et hae Gentes profitebantur; *deinde* partium etiam, quae postea inter Samaritanos ortae sunt, quaeque *Gentium Sacris* propitiae erant, magna auctoritas. Colonorum porro Babyloniorum cum *Cuthâ* commercium post Hiërosolyma a Chaldaeis capta laetius fortasse florebat, quam cum *Babylone*, et cum iis locis, ubi *Judaei* erant *frequentiores*, qui et hanc ob causam Samaritanos *Cuthaeos* nominare potuerint. Cum Cuthâ diutius certo quam cum Babylone, duravit illud commercium. Nam Seleuciâ a Seleuco Nicatore conditâ, splendor Babylonis in dies magis obscurare coeptus est, ac tanta postea detrimenta cepit, ut STRABONIS aetate hujus urbis non nisi rudera superessent (3).

De *locis* Palaestinae, ubi Coloni habitaverint, nihil fere traditur. Tantum legimus 2 Reg. XVII. 24 et 26 in *urbes* eos translatos esse. Urbes certo intelliguntur sive *dirutae*, sive *incolis*, qui partim abducti essent, partim *fugam* ipsi *cepissent*, *maximam partem privatae.* Et his restaurandis Victores, terrae subactae Indigenas, *rure* praesertim degentes, a rebellione cohibere poterant. *Bethelem* ergo v. c., *Samariam*, alio, Coloni

---

(1) *Antt.* IX. 14. 3. et XI. 4. 4.

(2) In *Thisbi* p. 34, qui locus exstat in CELLARII *Collect.* p. 11 seq. et *Exercit.* p. 11 seq.

(3) Conff. loci laudati a WINERO, *Bibl. Realwörterbuch*, 2e ausg. in voce *Babel*, p. 144. De urbe Seleuciae vid. PRIDEAUX, vers. vernac. I, p. 863 seqq.

se converterint (1); quae praecipua causa fuerit, quare in *urbibus* maxime Gentium Cultus adeo floruerit. Idem *Scythae* fecerint, qui in urbe *Beth-schean* remanserunt, unde ei urbi nomen *Scythopoleos* adhaesit.

Hos ergo veteres ét Babyloniae ét Phoeniciae incolas qui consideret, vim simul animadvertit et efficaciam, quam, quod modo diximus, Coloni in Israëlitas habuerint. Utrique illi Genti quam cara mercatura fuit! Artiumque et doctrinarum studium si Phoenices non neglexerint prorsus, eo impensius Babylonii eidem dediti erant. Quia autem de harum Gentium rebus gestis hìc non exponimus, indicasse sufficiat Auctores, qui has quaestiones deditâ operâ tractarunt: Heerenium puto, qui de Phoenicum mercaturâ et opificiis, et de Babyloniorum rebus et commerciis egit (2), Aug. Böckhium, qui ostendit, Babylonios *mensurarum ponderumque* systema cum Gentibus permultis asiaticis, et cum Graecis etiam communicasse (3); tum maxime, ut alios omittam, Quatremèreum, in Dissertatione *de Nabathaeis* (4) loquentem de *Coloniis babylonicis* (p. 126 seqq.), ejusque Gentis studio, in *agriculturâ*, *variisque disciplinis*, et vero in *Literis* posito, idque illustrantem tum ex aliis Operibus, tum ex Opere, quod Ibn Waḥšîjah arabice vertit (p. 227 seqq.).

## §. 6.

### *De Terris, in quibus Gens samaritana olim vixit, et Urbibus, ubi Coetus samaritani antea floruerunt.*

Ad aliam accedimus quaestionem, quae quia in Historiae enarratione non nisi cursim tractari possit, nec tamen diligentiori disquisitione indigna est, hìc absolvatur; quaestionem intelligo de *Terris*, *in quibus Gens samaritana olim vixit*, et de *Urbibus*, *ubi Coetus samaritani quondam floruerunt.*

---

(1) Vid. Bertheau l. l. p. 361 seq. Hic praeterea existimat, Colonias ab Assyriis in partem *meridionalem* Regni ephraïmitici tantum delatas esse. Quae sententia, si statuis hanc magis quam septentrionalem Regni partem bellis exhaustam, et pluribus incolis, *in exsilium abductis*, privatam esse, valde se commendat.

(2) *Ideën ub. die Polit., der Verkehr, u. d. Handel der vornemsten Völker der alten Welt*, I th., sive *Hist. Werke*, XI. th., Gött, 1824, p. 60 seqq., 86 seqq., 133 seqq., 199 seqq.

(3) *Metrologische Untersuchungen uber Gewichte, Münzfüsse und Masse des Alterth. in ihrem zuzammenhange*, Berl. 1838, de quo Opere exposuit item K. O. Müller in G. g. A. 1839. St. 94—96.

(4) *Mémoire sur les Nabathéens*, inserta Repertorio, cui titulus est *Nouv. Journ. Asiat.* anni 1835, Tom. XV, p. 1—55, 97—137, et 209—271. Ex Bottae anno 1843 institutis effossionibus prope Khorsabâdum novimus insuper, *artes a Ninivitis* etiam antiquissimis temporibus studiose excultas fuisse (*Journ. Asiat., Juillet—Août* 1843, p. 61 seqq., et quae deinde eâ de re publici juris facta sunt).

Ut Judaei, ita alii etiam populi ét olim ét hodie per varias Terras dispersi vivebant. Damasceni v. c. Samariae, et Israëlitae Damasci (1), ac Judaei in portibus Maris rubri (2), ubi strages aliquando inter eos edita esse videtur (3). Sic postea Antiocheni Hiërosolymis (4), et, quod Inscriptio docet Numi (*'Αντιοχέων τῶν ἐν Πτολεμαΐδι*), Ptolemaïde; sic denique Phoenices in urbibus Aegyptiorum et Graecorum quam plurimis, et Hiërosolymis item (5), certam quamdam urbis partem, sive vicum habitabant (6). Idem de Samaritanis statuendum est. Mentio fit de Samaritanis in *Aegypto* et *Syriâ* viventibus, ac recentiore aetate Coetus eorum memorantur, qui *Romae* erant et *Constantinopoli*.

In *Aegyptum* multi Israëlitae jam migrasse videntur, quum Regnum 10 Tribuum post Jarobami II mortem turbis civilibus dilaceraretur; in primis vero quum, Menahemo Rege creato, partes assyriacae superiores, aegyptiacae contra inferiores evasissent. Horum Exsulum numerus, crescente publicà calamitate, ac Regno tandem everso, aliis quam plurimis auctus est. De horum tamen conditione et fatis nihil innotuit. Tantum conjicere licet, Samaritanos Palaestinenses cum iis et posteris eorum, qui in Aegypto remanserunt, commercium habuisse, idque, ortis etiam bellis, a Persis cum Aegyptiis gestis, ac bello praesertim ab Inaro et Amyrtaeo moto, continuasse, et Aegyptiis fortasse auxilia tunc tulisse (7). Haec tamen tempora, quia prorsus incerta sunt, potius transeamus, ad aetatem pergentes Alexandri magni.

Hic 8000 Samaritanorum, qui ei in Tyri et Gazae expugnatione auxiliati erant, secum in Aegyptum duxit, iisque in Thebaïde, quam ipsius nomine tuerentur, agros divisit (8). Quod, si quid aliud, Samaritanis gravissimum fuerit, etiam si per breve tempus ejus Terrae custodia iis mandata sit, ad auctoritatem sibi in Aegypto parandam, quà Gentis dignitatem contra Judaeorum machinationes strenue vindicarent. Brevi enim ét eorum ét Judaeorum numerus in Aegypto mirifice crevit, postquam Ptolemaeus, Lagi filius, Palaestinâ expugnatâ, et captis Hiërosolymis, utriusque Gentis coloniam Alexandriam transtulerat. Nec pauci deinde (quod de *Judaeis* JOSEPHUS diserte tradidit (9), sed de *Samaritanis* pari modo dicere potuisset) insigni locorum ad mercaturam agendam opportunitate, ac Regis liberalitate allecti, ultro se illuc contulerunt. Ac verisimile est, haud paucos Samaritanos *Aegyptum* etiam petivisse regnante Johanne Hyrcano, qui primum Templum garizimita-

---

(1) 1 Reg. XX. 34. (2) 2 Reg. XVI. 6. (3) Joël. IV. 19. (4) 2 Macc. IV. 18, 19.

(5) Zeph. I. 11, coll. Zach. XIV. 21, Neh. XIII. 16.

(6) Vid. MOVERS, *Die Phoenizier* I, p. 49 seqq.

(7) De *Judaeis*, a Persis in Aegyptum abductis, retulit ARISTEAE *Histor. LXXII Interpretum*, cap. I. Oxonii 1692. 8°. p. 5. Hujus Libri Auctor *ante Ptolemaeum Philometorem* videtur vixisse. Vid. Dr. Z. FRANKEL *Vorstudien zu der Septuaginta*. Leipz. 1841, p. 125.

(8) JOSEPH. *Antt.* XI. 8. 4 et 6. (9) *Antt.* XII. 1. 1.

num, ac deinde urbem Samariae funditus delevit, et Gentem samaritanam prorsus subegit.

Ut in Palaestinâ, sic in Aegypto aliisque Terris exteris, ubi Samaritani degebant hi non eadem Sacra temporibus antiquioribus *omnes* profitebantur. Alii Gentium Cultui dediti fuerunt, iique a commercio cum Exteris non alieni, ab his minus distinguebantur. Alii Cultum amplectebantur, quem samaritanum vulgo dicimus, et horum numerus in dies magis crevit, iique post Constantinum m., reliquis *ante* cum Gentilibus, sive *tunc* cum Christianis commixtis, soli tantum superfuerunt. Ut *horum* constantia, ita *illorum* levitas Gentibus in oculos incurrit. Varia Scriptorum de Samaritanis *exteris* judicia, si dicta modo tenentur, in concordiam rediguntur. Hic autem inter ipsos Samaritanos de Rebus sacris dissensus causa fuerit, cur, quamvis eorum numerus in nonnullis urbibus exteris magnus fuerit, ii multo rarius quam Judaei tumultus olim excitaverint.

Eadem Jura et Privilegia, quae Judaeis concedebantur, ut *suis* nempe *Legibus* uterentur, *Cultumque* libere profiterentur (1), Samaritanis permissa fuisse, non dubitamus. Et haec, quae summi certo momenti iis erant, qui in eâ Gente Jahves Cultum profiterentur, iisdem facile concessa esse videntur, quia ipsi Ritibus et Institutis a Judaeis vix diversi erant, ideoque a Scriptoribus nonnullis, et a Magistratibus civilibus tamquam *Judaeorum* Secta plerumque considerabantur.

Inter utramque Gentem acerrimae in *Aegypto* etiam ortae, agitataeque sunt de Religione, Cultûsque publici loco contentiones. Ab utrâque parte id testantur. Cum Josepho (2) nimirum in multis conveniunt, tum fabula, a Samaritanis in Libro Josuae (cap. XLV) enarrata, tum dicta Abū'lfathi (3).

De Samaritanis *aegyptiacis* seculo 2° post Christ. sermo fit in Hadriani (117—138 regnantis) Epistolâ ad Servianum Consulem, a Vopisco insertâ *vitae Saturnini*, in quâ ii pariter atque Christiani, et Judaei Hadrianum (quia acerrimus Idolorum vindex erat) metuentes, *Serapidis* Cultum amplexi esse dicuntur, quum Imperator in Aegyptum venisset. »*Illi*," sic Hadrianus scripsit, »*qui Serapin colunt*, *Christiani sunt : et devoti* »*sunt Serapi*, *qui se Christi Episcopos dicunt*. *Nemo illic Archisynagogus Judaeo*»*rum*, *nemo Samarites*, *nemo Christianorum Presbyter*, *non Mathematicus*, *non* »*Aruspex*, *non Aliptes*." id est, nemo sive Christianorum, sive Samaritanorum, sive Judaeorum est, quin Sacris, in Serapidis Cultu usitatis, deditus sit. »*Ipse* (sic pergit Hadrianus) »*ille Patriarcha* [Judaeorum nempe] *quum Aegyptum venerit*, *ab aliis* [id est, Serapidis Cultoribus] »*Serapidem adorare*, *ab aliis* [Christianis nimirum] *cogitur*

(1) Joseph. *contra Apion.* II. 4. coll. I. 22; *de Bello Judaico* II. 18. 7, et *Antt.* XII. 2.
(2) *Antt.* XII. 1. 1. et XIII. 3. 4.
(3) Paul. *N. Repert.* I, p. 139, coll. *Act. Lips. anni 1691*, p. 169.

»*Christum. — Unus illis* [Aegypti incolis] ***Deus est. Hunc Christiani, hunc Judaei,*** »*hunc omnes venerantur et Gentes.*" Intelligit *Serapidem*, quem a *Christo* non distinxit. Non *omnes* autem Samaritanos Serapidis Cultum amplexos esse, sed *nonnullos* tantum, atque eos maxime, qui in Gentium Cultum propensi, et Hadriano obvii essent, id fecisse, sive simulasse, plerosque contra Sacris avitis addictos, se abscondidisse vel latuisse, res ipsa docet. Raptim Imperator singula perlustravit, et festinantius de iis judicavit.

Vopiscus, imperantibus Diocletiano et Maximiano, annis 284—305 regnantibus, scribens, de Samaritanis hoc suâ aetate (ibidem paulo ante) testatus est: » *Sunt*, inquit, »*Aegyptii — viri ventosi, furibundi, jactantes, injuriosi, atque adeo vani, liberi,* »*novarum rerum usque ad cantilenas publicas cupientes, versificatores, epigramma-* »*tarii, mathematici, aruspices, medici. Jam et Christiani et Samaritae* (sic enim ut Jac. Gothofredus recte monuit, legendum est pro vulgari *nam et Christiani, Samaritae et*), »*quibus praesentia semper tempora cum enormi libertate displiceant.*" Id est: Aegyptii *ante* jam leves erant, et seditiosi, magis vero corruptum est eorum ingenium, postquam christiana et samaritana Religio inter eos propagata est. His enim nunc etiam Aegyptii praeterea similes redditi sunt (1).

Samaritanorum aegyptiorum conditio sub finem seculi 4[i] Lege illustratur, a Theodosio magno latâ anno 390. »*Judaeorum* (sic ibi legitur) *corpus ac Samaritanorum ad* »*naviculariam functionem non jure vocari cognoscitur: quidquid enim universo cor-* »*pori videtur indici, nullam specialiter potest obligare personam: unde, sicut ino-* »*pes, vilibusque commerciis occupati, naviculariae translationis munus obire non* »*debent, ita idoneos facultatibus, qui ex his corporibus deligi poterunt, ad prae-* »*dictam functionem haberi non oportet immunes.*"

A Cellario (2) haec Lex perperam refertur ad Samaritanos in *Occidente*, et in primis *Constantinopoli* viventes. Inscribitur enim *Alexandro, Praefecto Augustali*, id est *Aegypti*, sive *Alexandrino*.

Ex hac autem Lege manifestum est, Samaritanos pariter atque Judaeos aegyptios eo etiam tempore mercaturam fecisse, alios *leviorem*, quorum *res* erat *angusta*: *ampliorem* vero alios, quorum *lauta* erat conditio. *Illi*, ut Rei naviculariae, prudenter sane, *immunes* declarantur, ita *hi* ad eam gerendam judicantur *facultatibus idonei*. Gravius enim hocce munus erat, quam ut omnibus sine discrimine committi posset, quippe quod *Navicularii* civitatis nomine onera quaevis annonae aliarumve rerum in navibus,

---

(1) Conff, *Hist. Aug. Scriptores*, in iisque Vopisci *Vita Saturnini*, c. 8 et 7; Casaubon. in notâ ad *Titulum* Operis Vopisciani; Salmasius ad Vit. Saturn. c. 8, Jac. Gothofr. in notis ad L. 18. *Cod. Theodos.* de Navicul. (XIII. 5); et Friedr. Münter, *der Jüdische Krieg unter den Kaisern Trajan und Hadrian*, Alt. et Lips. 1821. 8°. p. 33 seq.

(2) *Collect.* p. 22, 23.

quas suis ipsi sumtibus aedificare cogebantur, per mare transportabant. Honorificum vero simul, et ob privilegia cum eo munere conjuncta, hoc munus minime erat contemnendum. *Judaeos* autem *aegyptios* hac ratione revera incitatos fuisse, ut *navigationi* operam darent, ex iis videmus, quae SYNESIUS in 4ª epistolâ tradidit de navi aegyptiacâ, cujus gubernator ac major 12 nautarum pars erant Judaei (1). Idem sine dubio fecerunt Samaritani.

Ut Judaei aegyptii in proximas terras, v. c. per Cyrenaicam, se propagarunt, ita etiam Samaritani loca vicina petiverunt. Navigatione enim occupati, nonnulli eorum, ut Arabes, Aegyptum invadentes, effugerent, exinde transiisse videntur in Insulam Maris rubri, quae ab iis nomen acceperit *Insulae samaritanae*. 'IDRĪSĪUS in Opere geographico, cui titulus كتاب نزهة المشتاق في اختراق الآفاق (2), et quod absolutum est anno Higrae 548 (1154) hanc Insulam commemorat nomine *No'omāni* (نعمان), cujus nominis duas Insulas prope Hegāz*um* in Mappâ suâ notavit BERGHAUS, alteram septentrionem, alteram meridiem versus. Insulam septentrionalem, cui in orâ Hegāzi, fere e regione sita est Çoba (ضُبا), commemoravit WELLSTED (3). In hac Insulâ, ut 'IDRĪSĪUS tradit, dictâ *As-sāmarî* (السامرى), Samaritani habitabant, aliorum contactum studiose evitantes. Eos esse *Samaritanos* agnoscitur, inquit, exinde quod iis, qui ipsis obviam veniant, acclamant لا مساس, id est: *ne contactus sit*, sive, *ne me tangas!* Samaritanos autem severos ab aliarum Gentium commercio abhorruisse, jam tradiderunt EPIPHANIUS (4), DAMASCENUS (5), MASŪDIUS (6), postea etiam MAQRIZIUS (7); neque hoc latebat MOHAMMEDI, ut liquet ex Qorāni Sūrâ XX. 95, quem locum 'IDRĪSĪUS (l. l.) ob oculos habet.

Alia Samaritanorum aegyptiorum Colonia in *Arabiam petraeam* abiisse videtur, veterum Aegyptiorum exemplo, quos ibidem degisse, monumenta, quae supersunt, ostendunt. 'IDRĪSĪUS enim (8), agens de urbe Nābolosi: *incolas*, ait, *Hiërosolymorum tradere, in urbe Nābolosi, atque in alio oppido, a Gazâ 30 milliaribus distante, in viâ Ae-*

(1) Vid. GOTHOFR. ad *Cod. Theodos.* de *Judaeis* et *Coelic.* ad L. 15 ibid., ubi de *munere* et *privilegiis* Naviculariorum copiose egit.

(2) *Climatis* II, *Sect.* 5ª, in Versione gallicâ JAUBERTII (*Géographie d'Edrisi*, Paris 1836. 4°.) Tom. I, p. 134. Ad hunc locum jam attenderant, textum arabicum item addentes, J. J. SCALIGER (*de Emendatione Temporum*, L. B. 1598. fol. p. 622), et CELLARIUS (*Collect.*, p. 16 seq.). De ipso 'IDRĪSĪO ejusque Opere conf. M. G. DE SLANE, *J. A.* 1841. Tom. XI, p. 362 seqq., demonstrans natum eum esse *Ceutae* anno 493 (1099—1100), ibique mortuum anno 560 (1164—1165).

(3) *Reisen in Arabien. Deutsche Bearbeitung herausgegeben von Dr.* E. RÖDIGER, II, p. 148, ubi E. R. nota legatur.

(4) *De Haeres.* I, p. 26, ed. Petav. (5) COTELERII *Monum. Eccl. Gr.* I, p. 282.

(6) DE SACY, *Chrest. Arab.* I, p. 342 seqq. (7) DE SACY l. l. I, p. ١١٣ coll. p. 304 et 339 seqq.

(8) *Climat.* III, *sect.* 5ª, in Vers. JAUBERT. I, p. 339, coll. p. 360.

*gypti eo tempore* (seculo ergo 12° medio) *Samaritanos esse.* Ad vocabula *in viâ Aegypti*, Codex quidam monuit, indicari *Wādī-'t-tīh* (وادى ألتيه), cujus longitudo esse dicitur spatium *itineris 6 dierum.* De Samaritanis tamen *ibi* degentibus alii Scriptores nullam fecerunt mentionem.

A quo inde tempore Samaritani *Damasci* habitaverint, certo dici nequit. Israëlitae, ut supra (p. 38) diximus, ibi jam degebant Regno ephraïmitico durante; quorum posteri et si perierint, vel ingruentibus bellis assyriacis, abierint, alii urbem postea restitutam, et mercaturâ brevi iterum florentem, rursus petivisse videntur. Horum numerus sine dubio auctus est iis, qui Johannis Hyrcani vindictam effugerunt. Anno nimirum circiter 111 ante Chr. nat. Syriae Regnum in duas partes divisum est. Altera pars complectebatur Coelesyriam et Phoeniciam cum Damasco metropoli, altera reliquam Regni Seleucidarum partem, cujus caput erat Antiochia. *Huic* praeerat Antiochus Gryphus, *illi* Antiochus Cyzicenus, Samaritanorum patronus (1). Hic Samaritanis ab Hyrcano devictis, *quos* ipse *juverat*, tutum intra Regni sui fines *refugium praebuerit*, ac jura dederit, quibus in Aegypto utebantur. Ab hoc saltem tempore Synagoga samaritana Damasci exstiterit, quae ad finem usque seculi 17ⁱ ibi erat. Haec autem *florebat*, ut aliae quam plurimae, quae in aliis Syriae tractibus, atque in Aegypto et Palaestinâ, ineunte seculo 11° et 12° reperiebantur, quum Abū-Saʿīd in Aegypto Versionem conscriberet arabicam Pentateuchi samaritani, et Abū-'l-ḥasan Tyrius judaïcam Versionem Saʿadiae ei Pentateucho accommodaret, atque Abū-'l-baracāt Bostrensis (2) seculo ineunte 13° Scholia in Versionem Abū-Saʿīdi componeret, et hanc mox emendaret (3). Iis temporibus, ut infra monebimus, Samaritani inclaruerunt variae eruditionis laude, adeo ut non miremur Abū-'l-fatḥum, Chronicon anno 1355 scribentem, tria, ut ipse testatur, *Damasco* accepisse Chronica samaritana, quibus in suo Opere elaborando usus est (4). Alius clari Doctoris, ejusdemque Poëtae carmen edidit Gesenius (5). Aç-çafīum (الصفى) intellige, cujus cognomen Al-mergānī (المرجانى) derivatur ab oppido prope Damascum, *Al-mergān* (المرجان). Hic ergo in alio Syriae loco vivebat, aliique alibi. *Harrāne* v. c. mortuus est sec. 13° Çadaqa-ben-Manga-ben-Çadaqa (6); ac Maqrizio (nato anno 1358) teste, *magnus eâ* aetate *Samaritanorum erat numerus in Syriae urbibus*, iique *in quâque urbe pri-*

(1) Joseph. *Antt.* XIII. 10, 2.

(2) De Sacy, *Mém. de l'Acad. des Inscr.* Tom. XLIX. p. 56 seq.

(3) Vidd. quae observavi *in Commentatione de Versione arabico-samaritanâ, et de Scholiis, quae Codicibus Paris.* N. 2 et 4 *adscripta sunt*, insertâ *Orientalibus*, II. p. 113—157.

(4) Paulus, *N. Repert.* I, p. 119.

(5) *Anecd. Orient.* p. 31 seqq., coll. p. 77.

(6) Van Vloten, *Spec. Philol.* p. 10.

*vas habebant Synagogas* (1). Nobilem sec. item 16° fuisse Synagogam *damascenam*, videmus ex exemplis Codicis samaritani, tum Textûs hebraïci (2), tum Versionis arabicae (3), *Damasci* exaratis, quae in Bibliothecis europaeis servantur. In horum Codicum subscriptionibus tituli obvii sunt *summi Sacerdotis*, *Oratoris* et *Lectoris* (4).

Postea *Coetus damascenus* magna detrimenta cepit. Seculo 17° PETRUS DELLA VALLE, in Epistolâ ad Morinum post reditum ex Oriente anno 1630 scriptâ: *Gazae*, inquit, *Hiërosolymis, ac in urbe Sichem similiter pauci erant, ut Caïri (ubi 7 circiter familiae); Damasci profecto aliquanto plures, at non multo* (5). Nemo deinde de Coetu damasceno mentionem fecit. *Antiochiae* STEPH. SCHULZ anno 1753 nonnullos Samaritanos invenit (6).

De Samaritanis in Palaestinâ et Aegypto commorantibus, Arabum etiam testimonia non desunt. In hac regione *Qāhirae* praesertim degebant. MASŪDIUS mortuus anno Higr. 345 s. 346, medio ergo seculo nostro 10°, solos commemorat Samaritanos in tractu *Falestīn* (Philistaeâ) et *Jordanis*, atque in *pagis separatis*, v. c. in pagó *Ārā* (عارا), *Ramlam inter et Tiberiadem*, *aliisque*, *ad urbem Nābolosi* usque, *ubi major erat eorum pars* (7).

ABŪ-RIḤĀN MOHAMMED BIRŪNĪ, mortuus anno H. 430 (1038), idem de *Nāboloso* declarat, ibique *Samaritanorum Synagogas* esse contendit (8).

ŠAHRISTĀNIUS (IBN-ḰALLICĀNO teste, anno 479 Higrae (1086) natus, ibique mortuus aetate 70 annorum, et cognominatus a *Šahristānâ*, urbe ejus natali, sitâ Nisābūrum inter et Ḱoaresmiam) de Samaritanis loquitur *Hiërosolymis* et *in variis pagis Aegypti* versantibus (9). Mira vero h. l., ubi nullus de *Nāboloso* fit sermo, *Hiërosolymorum*

---

(1) DE SACY, *Chrest. Arab.* I, p. ١٣٢ seq., coll. p. 304 seq.

(2) HOTTING. *Exercit. Anti-Morian.* p. 34. GESEN. *Anecd.* l. l. p. 6, 17.

(3) VAN VLOTEN l. l. p. 22 seqq. (4) CELLAR. *Collect.* p. 17 et 18.

(5) *Antt. Eccl. Orient.* Lond. 1682. 8°. p. 166. Perperam igitur ED. ROBINSON (*Palaestina* T. III. part. 1. p. 360) de Samaritanis damascenis: *Sie scheinen nur aus ein Paar Familien in den Gärten ausserhalb der Stadt bestanden zu haben; veilleicht war es eine temporäre Niederlassung.*

(6) *Der Leitungen des Höchsten*, T. IV, p. 369 seqq.

(7) DE SACY, *Chrest. Ar.* I, p. 342 seq., coll. p. 353. *Ārā* fortasse pagus est a ROBINSONO (III. 1. p. 388) *'Arâneh* dictus (عرانه, ut scribit SMITH III. 2. p. 880), situs a septentrione oppidi *Ġinin* (Ginaeae). Pro *Ramlah* ergo potius legatur *Ār-ramah*, sita a septentrione *Pentecomiae*, quam ROBINSON ibid. III. 1. p. 379 commemorat, de quâ vid. infra p. 45 l. 5. (8) DE SACY l. l. I, p. ١١٣, coll. p. 305, 345.

(9) CELLAR. *Collect.* p. 15 seq. Locus exstat in ed. CURETONIS (كتاب الملل والنحل, *Book of religious and philosophical Sects*, Part. I. Lond. 1842), p. ١٧٠, ubi haec leguntur: السامرة هولاء قوم يسكنون بيت المقدس وقرايا من اعمال مصر. Sine dubio ŠAHRISTANIUS ipse cogitavit *Hiërosolyma.* In sequentibus enim haec leguntur: وقبلة السامرة جبل يقال له غريم بين بيت المقدس ونابلس قالوا ان الله

mentio est, adeo ut, si scripserit ille بيت المقدس, eaque si ex *Samaritanis* cognoverit, eo nomine, quo vulgo quidem *Hiërosolyma* insigniuntur, *Nābolos* tamen potius intelligenda sit, quoniam Samaritani eodem titulo hanc suam urbem item ornare solebant. Fieri tamen potuit, ut *nonnulli* Samaritani Hiërosolyma etiam petierint aliquando, mercandi causâ, lucrive studio ducti, tutos se esse existimantes sub Moslimorum, et mox sub Christianorum tutelâ, quâ si gauderent, suisque juribus uterentur, a Judaeis nihil iis extimescendum erat. Audacius ergo Cellarius (l. l.), dicta Petri della Valle in dubium vocavit, in Epistolâ, supra allatâ, de Samaritanis *Hiërosolymis* degentibus loquentis. Is enim non modo in Orientem iter ipse fecerat, sed et de iis, quae ibi vidit, *certus*, sic deinde loquitur: *Gazae, etiam Hiërosolymis, ac in urbe Sichem similiter pauci erant* (Samaritani). Hi vero Hiërosolyma fortasse reliquerunt ante annum 1684, quo tempore ad annum usque 1691 Epistolarum commercium Ludolfum inter et Samaritanos Sichemiticos institutum est. Si autem tunc adhuc ibidem degerint, Sichemitis melius visum sit, eleëmosynas transmittere ad Monachos christianos, Hiërosolymis degentes, tamquam Viros ubique notissimos probataeque fidei. Non recte igitur ante contenderat Maqrizius, Samaritanos *numquam* transire in *ditionem Hiërosolymorum a Davidis inde tempore* (1), quod de *severioribus* Samaritanis verissimum fuerit, non vero de *omnibus*.

Seculo 14° Aegyptum et Syriam insigni Samaritanorum numero frequentatas fuisse, testatur Edictum Sultani Mamlūci, *Al-Malec An-naçer*, quo, teste As-Sojūtio (mort. anno H. 849, s. p. C. n. 1445) *Samaritanis* aegyptiis et syriacis mandatum est, ut turbanos *rubros*, *Judaeis* ut *flavos*, *Christianis* ut *coeruleos* gererent (2): quod Edictum ab Abū-'l-feda sub anno 700 etiam commemoratum (3), scribente As-Sojūtio, anno 755 (1354) iterum promulgatum est (4).

De Samaritanis *aegyptiis* et *palaestinensibus* alia praetereà exstent testimonia. In Cod. parisiens. N°. 4, Versionem exhibente Abū-Saïdi, de iis anno 836 (1433) in Aegypto

---

تعالى امر داود النبى عليه السلام ان يبنى بيت المقدس بجبل نابلس وهو الطور الذى كلم عليه موسى عليه السلام فحول داود الى ايليا وبنى البيت ثمّة وخالف الامر وظلم الخ; id est: *et locus, quorsum Samaritani precantes se convertunt, est mons, cujus nomen est Ġarīm* (pro جريزيم) inter Baito 'l-moqaddasum et Nabolosum. *Dicunt* (Samaritani) *Deum supremum jussisse Dāudum* [Davidem] *Prophetam, cui sit salus, aedificare* Baito 'l-moqaddasum (id est *Templum Dei sancti*) *in monte Nabolosi, qui mons idem est de quo Musā, c. s. s., locutus est; sed transtulit Dāudus* (cultum sacrum s. القبلة) *Aeliam, et Templum aedificavit ibi* (ثمّة), *et mandato (divino) adversatus est, atque impie egit.*

(1) De Sacy, *Chrest. Ar.* I, p. ١١٣, coll. p. 305.

(2) De Sacy l. l. p. 145. (3) *Annal. Mosl.* V, p. 176. (4) De Sacy l. l. p. 146.

degentibus, sermo fit (1). Alter Codex paris. ejusdem Versionis, N°. 2, ut ex usu *Cifrarum copticarum*, aliisque indiciis apparet, ibi etiam conscriptus est (2). In alio Codice Bibliothecae sanctae Genevevae, Textum complectente hebraeo-samaritanum, 1°) *Scribae* fit mentio, *Sacerdotis*, *Ministri Scholae Abischae filii Finhāsi*, *in Synagogâ aegyptiacâ viventis* anno H. 780 (1378); 2°) *Çadaqae* cujusdam *Ramae* (vid. p. 43 n. 7) habitantis anno 987 (1579); ac 3°) loca commemorantur *Icara* (?), et *Armata*, ubi Samaritani habitarent (3), et in Cod. paris. N°. 2 *Mūnas* et *Harmata* (4). *Hoc* fortasse vitiose scriptum est pro *Ḥawārā* s. *Ḥowārā*, qui pagus est *antiquus*, hodieque *magnus* in Campo *Moknāe*, (مُخْنَا), haud procul a Nāboloso, ad latus dextrum viae, si Nābolosum Hiërosolymis pergis (5). *Mūnas* in Aegypto sita esse videtur. Librarius enim Notae samaritanae ad calcem Libri Geneseos (6), nimirum *Çadaqa-ben-Jūša-a-ben-Matūḥia-ben-Ḥaçib-ben-Abraha-ben-Baraqa*, *Levita ex pago Sacerdotum*, *Minister Scriptorum sanctorum in Aegypto*, refert eum Codicem anno 872 (1469) ex possessione *Ab-Nasahnae Rabbini magni ex incolis Mūnasi*, transiisse in possessionem *Tahtii*, *Rabbini Synagogae ex incolis Harmatae;* atque nomine commemorato, Librarius addit: *Deus det huic* (libro), *ut ex terrâ Aegypti brevi feliciterque Sichemum perveniat.* Samaritani nempe, ne quid detrimenti caperent Legis Codices, certis quibusdam Viris curam eorum commisisse videntur, quibus etiam mandatum fuerit cavere, ne quis Codex in aliorum manus transiret sine diserto alicujus ipsorum testimonio.

Anno H. 998 (1589—95) Synagoga aegyptiaca supererat, ut novimus ex Epistola 2ª ad Scaligerum ejusdem anni. Haec erat *Qāhirae*, ex quâ urbe ad Scaligerum anno 1584 missae sunt tabulae, quibus duplex anni samaritani computus continebatur (7). Postea vero inde mittebatur *liber Josuae*. Supererat Synagoga etiam deinde. Petrus della Valle anno 1630 haec scripsit (8): *Caïri erant circiter 7 familiae eorum* (Samaritanorum), *inter quos unus erat quem vidi*, *Antistes Sacrorum de progenie Levi.* Postea nullus amplius eorum sermo fit. Huntington in Epistolâ ad Ludolfum anni 1690 testatur (9), *ex αὐτοψίᾳ se didicisse praeter pauperrimum senem homuncionem*, *ejusque uxorem aeque miseram*, *ne unum quidem Samaritanum ibi amplius reperiri.*

Synagogae *extra Palaestinam*, ut docent Samaritanorum *Epistolae*, omnes olim Syn-

(1) De Sacy in Eichh. *Allgem. Bibl. Repert.* X, p. 38, coll. 36 et 37; et *Mém. de l'Acad. des Inscr.* XLIX, p. 16.

(2) De Sacy, *Mém.* l. l. p. 25 seqq. (3) l. l. p. 18, 19, 197—199. (4) l. l. p. 17 seq.

(5) Robinson l. l. III. 1. p. 311 seq., 322 seq. Smith. III. 2. p. 876 scripsit حُوارا.

(6) De Sacy, *Mém.* l. l. p. 15—17.

(7) Scaliger *de Emend. Temp.* p. 622, coll. p. 111. (8) *Antt. Eccl. Orient.* p. 166.

(9) Epist. 33ª *Epistolarum* p. 48.

agogae sichemiticae principatum agnoscebant. Ab hac illae passim accipiebant mandata, et quotannis *anni tabulam*, ac gravia quaeque ad hanc judicanda deferebant. *Festa minora* Exteri in suâ quique urbe celebrabant, tria vero majora, *Paschatis* saltem, in solo Monte Garizîmi agebantur.

In aliis *Palaestinae* locis, praeter *Nābolos*um et *Ḥowārām*, de quâ modo diximus, Samaritani diu vixerunt. *Tyri* seculo 10°, quâ ex urbe Abū-'l-ḥasan oriundus erat, qui, ut jam monuimus, Versionem Saadiae collato Pentateucho hebraeo samaritano, revisit. *Gazae* ad seculum usque 17, imo ad 18 usque. Ex Samaritanorum *Epistolis* hoc efficitur. Epistola missa ad SCALIGER*UM* anno H. 998 (1589—1590), et ad Anglos anno H. 1086 (1675—76), conscriptae sunt a duobus Viris, quorum uterque nuncupabatur *Ab-Zehūta*, *filius Josephi*, *ex incolis Gazae* (1). In illâ autem legitur: *Epistolam tuam, quam misisti in Aegyptum, ad nos venit Gazam et Sichemum* (2). Is enim, ad quem SCALIGER scripserat, iter suscepisse videtur Sichemum, eo tamen consilio, ut Gazae, ex quâ urbe oriundus erat, aliquamdiu moraretur. Eo ergo quum Epistola ex Aegypto missa esset, ille vero Gazam jam reliquisset, Sichemum illa mittebatur. *Gaza* porro commemoratur in alterâ ad Anglos Epistolâ anni H. 1111 (1700). *Sumus nos*, ibi inquiunt, *pauci viri in urbe Sichem — et in urbe Gaza* cet. (3). In Epistolis ab anno 1808—1823 *Gazaei* non amplius occurrunt. Contra in Epistolâ ad Gallorum Consulem primarium, Halebi degentem, CORANCEZ*IUM*, anni 1808, narratur, *ducentos Samaritanos esse Sichemi et Jaffae* (4). Gazâ Samaritani *Jaffam* et *Sichemum* migraverant.

Paulo major posterioribus seculis *Sichemitarum* erat numerus, quam aetate BINJAMINI TUDELENSIS, qui Sichemum ipse adiit, et anno 1173 mortuus est. *Centum circiter* is ibi invenit (5). Tunc igitur, si accurate scripserit BINJAMINUS, multi fortasse bellis in Palaestinâ saevientibus, sive occisi erant, sive alio se receperant. Seculo 17°, anno circiter 1671, 20 familiae Sichemi habitabant secundum notam additam Codici 65 Kennic.; 30 anno 1808, ut refert Epistola modo laudata; anno vero 1820 in aliâ Epistolâ scribitur: *numerus noster parvus est, nondum efficiens* (numerum) *500 virorum peregrinantium in portionem agri* (6). His verbis, quibus respicitur locus Gen. XXXIII. 19, si fides

---

(1) EICHH. *Repert.* XIII, p. 269, et IX, p. 10. (2) l. l. XIII, p. 265.

(3) *Archief voor Kerkel. Gesch.* Tom. V, ubi cl. HAMAKERUS hanc Epistolam, nondum editam, inseruit. Vid. p. 23, et not. 40.

(4) DE SACY, *Correspondance des Samarit.* cet., in *Not. et Extr.* T. XII, p. 53 et 69; coll. HAMAKERO l. l. p. 39.

(5) *Itinerarium* D. BENJAMIN. ex ed. l'Empereurii L. B. 1633. 8°. p. 38. In urbe *Caesareae Palaestinensis* BINJAMIN 200 vidit Samaritanos (p. 37), *Asqalone* fere 300 (p. 52), *Damasci* 400 (p. 57).

(6) DE SACY l. l. *Not. et Extr.*, p. 146; coll. HAMAKERO l. l., p. 39 seq. Sic, ut in textu verti,

habeatur, iste numerus complecti videtur etiam *omnes*, qui *alibi* habitantes, Montem sacrum quotannis adibant. Deinde vero eorum numerus ibi valde imminutus est, tum seditionis opportunitate, iis in locis anno 1834 commotae, tum etiam quum Aegyptii magnam pubis partem ad militiam sustinendam abducebant. Ed. Robinson nempe Samaritanos sichemiticos anno 1838 numerum 150 non excessisse contendit (1).

De Samaritanis *per Occidentem* dispersis pauci locuti sunt. Eos tamen *Romae*, et postea *Constantinopoli* vixisse constat, ac fortasse in *aliis* etiam urbibus mercaturâ florentibus degerunt. Quando *primum* petierint Occidentem, latet. Hocce vero tempus non multum distitisse videtur a tempore, quo Judaei Romam frequentarint. Hi cum Romanis Judâ principatum tenente, primum inierunt foedus, quod deinde a Jonathane et Simone renovatum est (2). Ab hoc inde tempore multi Judaei Romae habitabant, et eorum numerus ibi crevit in dies. Eos Romae notissimos fuisse, luculenter apparet ex Ciceronis Oratione pro Flacco (c. 28). Ex Tibulli, Ciceronis adhuc aequalis, Libr. I, Eleg. III[ae] versû:

Saturni sacram me tenuisse diem,

vere conjicitur, Judaeos *sabbatha celebrando* omnium oculos in se convertisse (3). Julio Caesare, Judaeis, qui, partes Pompeji ante sequentes, a Bello inde alexandrino illius causam amplexi erant, — Caesare, inquam, qui Judaeis igitur benignissimus erat, confosso, *Judaei*, ut Suetonius tradidit (4), *noctibus continuis bustum frequentarunt.* — Dicta de magno Judaeorum Romae numero ex N. T. item confirmantur, tum ex *Actis Apostolorum*, tum ex Pauli *ad Romanos Epistolâ*, ac praeterea ex iis, quae de Tiberio feruntur, 4000 Judaeos Româ in Sardiniam ablegante (5).

Privilegia, *Judaeis* a Romanis concessa, Samaritanorum aemulationem non excitare non poterant, eaque *hos* etiam impetrasse, ideo verisimillimum est, quod Romanis ipsi in Judaeorum turbis compescendis auxilium praestiterunt, iisque, quia rebellionis, post Herodis magni mortem in Judaeâ exortae, immunes fuerant, *quarta vectigalium pars a Romanis remissa est* (6).

---

locus videtur reddendus esse. Verba intelligo: ומספריו מעט מן ת. מ. איש, quae proprie significant: *et numerus noster parum abest a 500 viris.*

(1) *Palaestina* III. 1. p. 327, coll. p. 362. (2) Joseph. *Antt.* XII. 10. 6, XIII. 5. 8, et 7. 3.

(3) Offendebat Romanos *Sabbathum*, quare Tacit. (*Hist.* V. 4), *septimo*, inquit, *die otium placuisse ferunt; — dein blandiente inertiâ, septimum quoque annum ignaviae datum.* Vid. etiam Juvenalis, qui Judaeorum, Romae degentium *egestatem* (*Sat.* III. 13 seqq.), *vaticinia*, quae pro mercedis quantitate ibi vendebant (*Sat.* VI. 390 seqq.), et *ritus* atque *mores* eorum (*Sat.* XIV. 97 seqq.) acriter perstringit.

(4) Suet. in *Vita J. Caes.* c. 84. De *Edictis* J. Caesaris pro Judaeis, quae apud Josephum, exstant, conf. Krebs, *Decreta Romanorum pro Judaeis.* Lips. 1768. 8°, p. 161 seqq. De J. Caesaris erga Judaeos benignitate vid. ibid. p. 162 seqq. 188., 261, 263 et 295 seq. (5) Joseph. *Antt.* XVIII. 3. 5.

(6) Joseph. *Antt.* XVII. 11. 4.

Minus benigne Romani postea de Samaritanis senserunt, ut ex VOPISCI testimonio, p. 39 et seq. citato, et ex aliis locis apparet. Cujus rei causa repetenda est, ét e contemtu, in quem Judaeorum tumultus *omnes* Palaestinae incolas perduxerant, ét ex turbis, quas ipsi Samaritani saepius moverunt.

Non omnia tamen Privilegia, quibus ante fruerentur, tunc amiserunt confestim, quod ex Judaeorum iis temporibus in Occidente conditione item efficere licet. His enim etiam post Hiërosolyma eversa permissum erat Religionem in *Synagogis* profiteri, *suos* habere *Magistratus ecclesiasticos*, *Patriarcham* v. c., *Archisynagogos*, alios; *Munera* porro *civilia nonnulla* gerere. Et quamvis a Constantino magno inde res *Christianorum*, et *Orthodoxorum* quidem, maxime ageretur, Judaeorum tamen jura tunc item, et diu post vindicabantur, ut nemo eos impune laederet (1).

Quia *his* Judaei fruebantur Privilegiis, jam verisimile est, *suis* etiam gavisos esse Samaritanos, et si ea *non omnia* cum Judaeis communia habuerint. Videntur enim Romani, quoniam Judaeorum major quam Samaritanorum numerus ubique fuerit; illos magis curavisse, ac plura illis ob alias item causas, quae hodie nobis latent, concessisse.

Quia autem ea, quae *Judaeorum* Privilegia spectant, nondum satis explicata sunt, quamquam de his in *multis* Legibus mentio fit, multo minus omnes quaestiones solvere licet, de Privilegiis, quibus usi sint *Samaritani*, de quibus *Leges* et *Scripta* Romanorum *parce* loquuntur. Ex paucis his, quae supersunt, testimoniis, nonnulla tamen illustrantur quodammodo.

Novimus nimirum Samaritanis item concessum fuisse *suas* habere *Synagogas*, ibique Cultum publice celebrare. *Romae* certe eorum Synagoga fuit (2) *diu ante* Theodoricum (493—526 regnantem). Ex ejusdem Epistolâ id patet, quam CASSIODORUS *Variorum* libri III[i] num.° XLV inseruit, ubi de Samaritanis sermo est, querentibus domum,

(1) GOTHOFRED. in *Paratitlo ad Titul. Cod. Theodosiani de Judaeis*, *Coelicolis et Samaritanis*, L. XVI. 8, et Vir Cons. D. H. LEVYSSOHN, *Disp. Acad. Inaug. de Judaeorum sub Caesaribus conditione*, *et de Legibus eos spectantibus*. L. B. 1828. 4°. p. 27 et 57 seqq. Hunc titulum *de Judaeis* cet. Justinianus in suum Codicem transtulit, sed vocabulum *Samaritanis*, omisit. De his, ut *Secta*, fit mentio in L. 21. Cod. Just. *de Haereticis*. Vid. etiam tituli inscriptio. Basilica (I. 20) retinent vocem *Σαμαρειτων*. Observavit LEVYSSOHN l. l. p. 48. not. 80, Samaritanos in Cod. Theod. *tamquam Sectam Judaeorum cum Judaeis*, in Cod. vero Just., tamquam *haereticos inter Judaeos cum Haereticis* jungi. Rationem hujus differentiae recte explicuit ex *deteriori*, *quâ post Theodosium vivebant*, *conditione*.

(2) Verba in Lege Valentinianâ, Cod. Theod. *de malef. et math.* L. IX. 16 (vid. LEVYSSOHN loco laud. p. 27): *unicuique*, *quod animo imbibisset*, *colendi libera facultas a me tributa est*, non Judaeis modo, sed Samaritanis etiam sine dubio grata fuerunt. Hi ergo eâ veniâ utentes, majore numero Romam tunc se contulerunt, ibique Synagogam, iis postea ademtam, eo tempore fortasse condiderunt. Jam ante etiam Privilegia habuisse videntur, quia ibi Leges ante latae respiciuntur.

quae olim Synagoga fuerat, sibi a Christianis ademtam esse, quam *per annorum longa curricula Ecclesia romana — possederat. Nunc*, sic pergit Rex, *nunc autem exsistere samareae Superstitionis populum, improbâ fronte duratum, qui Synagogam ibidem fuisse iniquis conatibus mentiatur* (1). In mediis nempe turbis bellisque, quibus eo tempore Roma adeo vexabatur, ea Synagoga a Christianis occupata, et *diu postea* retenta fuisse videtur, quare Theodoricus, eorum, quae ante facta essent, inscius, et a Christianis fortasse in errorem ductus, atque in Samaritanos incitatus, hos *mendaces* existimaverit. — Verum immerito: nam hi tempus opportunum Synagogae recuperandae *tunc demum* venisse forsitan putarunt, *eumque* ergo Regem adierunt.

*Honoribus* Samaritanos functos esse, ex Lege manifestum est, ab Honorio anno 404 latâ, et iteratâ anno 418, quâ iis pariter atque Judaeis *Militia Agentum in rebus* interdicitur. *Judaeos* (sic in Lege dicitur), *et Samaritanos, qui sibi Agentum in rebus privilegio blandiuntur, omni Militiâ privandos esse censemus* (2). Agentes in rebus nimirum, quibus impositum erat curare, ut Magistratus Imperatoris mandata ubique rite exsequerentur (3), in Palatio etiam militabant, ibique variis officiis fungebantur (4). Eo ergo honore, quo eâ Lege privantur, *ante* digni habiti erant. Quod si quis miretur, Viros is cogitet ingenii laude praeclaros, qui ex eâ Gente prodierunt, quos inter v. c. praeter alios, ALEXANDER POLYHISTOR quondam fuit, ac deinde MARINUS NEAPOLITANUS, PROCLI discipulus, ejusdemque in Cathedrâ Scholae atheniensis anno 485 successor. His Viris, qui *Literis colendis* erant insignes, haud pauci sine dubio addi possunt *Rei militaris* periti, sub Romanorum vexillis hanc artem edocti. Hi Samaritanorum *duces* fuerunt, ubi ii seditionem moverent; v. c. sub *Hadriano*, *Severo*, in primis vero sub *Zenone* et *Justiniano*, quibus regnantibus JUSTUS, sive JUSTASA, et JULIANUS, a Samaritanis Reges creati sunt, qui gravioribus in Exercitu romano Muneribus ante fungentes, *haec nomina romana* fortasse assumserant.

Samaritanos *constantinopolitanos* ex Legibus solis novimus. Quae enim CELLARIUS (5) ex PHOTII (Patriarchae constantinopolitani seculi IX[i]) *Nomocanone*, et ex BALSAMONIS in hunc Librum annotatione citavit, ex Legibus hausta sunt, iisque diu antea latis, adeo ut *seculi IX[i] et XII[i]* de Samaritanis testimonia ibi non habeamus. Jussu enim Impe-

(1) M. AUREL. CASSIOD. *Opera omnia*, Genev. 1637. 4°. p. 112 seq.

(2) L. 16. *Cod. Theodos.* de Jud.

(3) GOTHOFRED. in *Paratitlo ad Titul.* Cod. Theod. de *Agentibus in rebus* (L. VI. 27), ubi de eorumdem *munere, variis gradibus, scholis, et privilegiis* disseritur; cum quibus conff. Auctores laudd. a LEVYSSOHN, l. l. p. 34, not. 41.

(4) GOTHOFRED. in *Paratitlo* ad Cod. Theod. *Titul.* de *privilegiis eorum, qui in sacro Palatio militabant* (L. VI. 35).

(5) *Collect.* p. 23.

ratoris Manuëlis Comneni Balsamon, tunc Diaconus, deinde Patriarcha antiochenus, illud Photii Opus commentariis illustravit. Leges autem, quae ibi alibique exhibentur, dignae sunt, de quibus disseramus.

Prima Lex, ab Imperatoribus Orientis publicata, quae Samaritanos commemorat, est Theodosii II anni 426, quâ statuitur, eos, qui ex Judaeis et Samaritanis Fidem christianam amplexi sint, a parentibus suis, avisque nondum conversis, haereditate suâ privari non posse, eosque legitimam etiam portionem accipere oportere, et si crimen in parentes vel avos commisissent, quod ceterum justa exhaereditandi causa fuisset (1). Efficere ergo licet, eo tempore non rara fuisse exempla Samaritanorum, in Regno romano orientali viventium, qui, invitis proximis cognatis, lucri fortasse studio saepe incitati, ad Religionem christianam transierint.

Samaritanis ad annum usque 439 in *Oriente* etiam *ad honores* et *dignitates* aditum patuisse, novimus ex III Novellâ Theodosii II, quâ omnes Leges ante latae, quibus Judaei et Samaritani muniti, eos honores dignitatesque petere poterant, abrogantur, iisque tum *quaevis administratio* interdicitur rerum publicarum, in quibus Christianorum res ageretur, tum etiam *Defensorum* Munus, *qui* (quae sunt verba Joh. Dan. Ritteri in *Commentario ad Novellas Constitutiones Imperatorum Justiniano anteriorum* p. 11 seq.) *in Municipiis celebrioribus, et hominum frequentiâ abundantibus, disciplinae publicae curam gerebant, ac plebem ipsosque decuriones tuebantur adversus Rectorum provinciae, compulsorum, exactorum susceptorumque insolentiam* (2)." Iisdem praeterea ibidem *novas* Synagogas aedificare non amplius permittitur, easque, *quae ruinam praesentaneam minitantur*, *fulcire* tantum conceditur, gravissimaeque poenae iis statuuntur, qui alios ad suam Sacrorum communionem traducant, datisque mandatis non obediant (3).

In aliis Legibus haec sive repetuntur, sive arctioribus limitibus circumscribuntur. Justinianus nimirum Synagogas *destruendas* esse jussit (4), Edictum anno 532 renovavit, quo

---

(1) L. 27. Cod. Theod. *de Judaeis, Coelicolis et Samaritanis* (L. XVI. 8).

(2) *Neminem Judaeum* (sic in Novellâ laudatâ legitur), *neutrâ Lege constante, ad honores et dignitates accedere* (*in omne aevum Lege sancimus*), *nulli administrationem patere civilis obsequii, nec Defensoris fungi saltim officio. — Illud etiam sancientes, ne qua Synagoga in novam fabricam surgat, fulciendi veteres permissâ licentiâ, quae ruinam praesentaneam minitantur. His adjicimus, ut quicunque Servum, seu Ingenuum invitum vel suasione plectendâ ex Cultu christianae Religionis in nefandam Sectam Ritumve traducerit, cum dispendio fortunarum capite puniendum est.* De hac Novellâ vid. etiam Levyssohn l. l. p. 79 seq.

(3) De *Defensorum* Munere vid. in primis F. C. von Savigny, *Geschichte des Römisches Rechts im Mittelalter*, (Heidelb. 1815) I Bd. p. 27 et 63 seqq.

(4) Conf. L. 17. C. de *Haeret.* Vid. etiam Levyssohn l. l. p. 45.

*Muneribus fungi* iis interdicitur (1), atque statuitur, Samaritanis, ut omnibus Haereticis, non amplius licere in causâ *testari*, si quis litigantium esset Orthodoxus (2). Quâ Lege quum fortasse opinarentur, se omnibus etiam officiis liberos esse, quae in rebus curialibus, sive corpore, sive opibus, civibus praestanda incumberent, idem Imperator anno 536 in Novellâ XLV illud tum magis definivit, tum etiam decrevit, Judaeos et Samaritanos Religionis praetextu *non liberari curiali conditione*, ejusque *officiis* obnoxios, *privilegiorum* vero non participes esse.

Plures item Leges latae sunt *de Successione bonorum* (3), quibus Samaritanis vetatur, ne *scribant Testamenta*, *aliisque non Orthodoxis Legata et Donationes* sive *erogent*, sive ipsi *accipiant*, ita quidem, ut si Orthodoxi in ipsorum familiis desiderentur, *eorumdem haereditas ad Fiscum perveniat.*

Dura haec Decreta Magistratus tamen non severe executi sunt, quod verba declarant Novellae CXXIX, a Justiniano anno regni 25, id est anno 551 publicatae: *Σαμαρείτας — πρώην θρασυνομένους καὶ κατεπαιρομένους Χριστιανῶν, καὶ πρὸς τὴν ἁπάντων ὥσπερ ἐσχάτην ἀπόνοιαν ἐξοκείλαντας, πολλοῖς μὲν ἐπιτιμίοις ἐσωφρονίσαμεν, ἑνὶ δὲ μάλιστα, τῷ μήτε διαθήκας αὐτους δύνασθαι γράφειν, μήτε, τουτων τελευτώντων διαθήκης χωρὶς, τοῖς ἐξ ἀδιαθέτου καλουμένοις συγγενέσι παραπέμπειν τὸν κλῆρον· πλὴν εἰ μὴ τοὺς πρὸς τοὺς κλήρους ἐφ' ἑκατέρῳ θέματι καλουμένους τῆς ὀρθῆς τῶν Χριστιανῶν εἶναι πίστεως συμβῇ. Ἀπηγορεύσαμεν δὲ αὐτοῖς καὶ ληγάτα διδόναι, καὶ δωρεὰς γράφειν, ἢ τὰς ὅλως ἐκποιήσεις ἐπὶ τοῖς οἰκείοις τίθεσθαι πράγμασιν, ἐπειδὰν μὴ τῆς ὀρθοδόξου πίστεως τὸ λαμβάνον πρόσωπον εἴη. Ταῦτα μὲν οὖν νόμῳ γενικῷ διαλαβόντες τηνικαῦτα μεμνήμεθα· πλὴν ἀλλ' οὐ τὴν αὐτὴν ἐν τοῖς ἔργοις τὴν ἐν τοῖς γράμμασιν ἀκρίβειαν ἐφυλάξαμεν, οὐδὲ γὰρ τὸν ἡμέτερον φίσκον, οὐδέ τινα τοῦ δημοσίου μοῖραν ἑτέραν τῶν ἐκεῖθέν τι λαβεῖν ἠνεσχόμεθα, κἂν εἰ τούτου ῥητῶς ὁ νόμος ἐδίδου.*

Severae istae Leges eâdem Novellâ, in gratiam Sergii, Episcopi caesariensis, qui pro Samaritanis intercesserat (4), valde mitigantur. Revocatis enim iis Interdictis, Christianis, qui in Samaritanorum familiis reperiantur, majora tantum Privilegia conceduntur, quae iis etiam promittuntur, qui, quamvis post Baptismum ad Proavorum Sacra rediissent, in Christianorum Coetum reverterentur. Talis simulate agendi ratio, ut saepe, ita

(1) L. 18. C. l. l. (2) L. 21. C. l. l.
(3) Conf. L. 13. 17. 19. l. l.
(4) Ex hocce *Sergii Episcopi* anno 551 interventu, videmus iis etiam temporibus Samaritanos non omnes amisisse inter principes civitatis Viros causae suae Patronos. Aliud ejusdem rei exemplum exhibet anno 529 *Arsenius Comes*, qui, Sylvano patre, Samaritanorum socio, a Scythopolitanis combusto, Samaritanos in aulà ipse defendit, et Theodoram Justiniani Uxorem, ad suam causam traducit. De his infra suo loco agemus.

etiam in Novellâ CXLIV perstringitur (1), quam tulit Justiniani Successor, Justinus II (565—578 regnans). Is, ut ei agendi rationi finem imponeret, *Apostatas proscripsit* et *in perpetuum exsilium misit*, eosque, qui adultâ aetate ad Fidem christianam transire vellent, obligavit per biennium ante quam baptizarentur, Doctore uti christiano, qui ipsos doceret. Edicta porro a Patre abrogata, Justinus II renovavit. Samaritanis *rusticis* (*γεωργοῖς*) tantummodo, et si Samaritanorum doctrinam tenerent, permisit, ut parentes, et liberos, atque proximos cognatos haeredes instituerent, eosve Legatis donarent, et ut ii item haeredes fierent, etiam si nullum scriptum esset Testamentum. Quod tamen non in ipsorum, sed in eorum gratiam statuebatur, qui praediorum essent possessores, ut illi agros eorum, quorum nomine agebant, eo melius colerent, et divitiae dominorum, atque per eos aerarii reditus augerentur. Praediorum porro domini, Samaritanis agricolis nullum haeredem relinquentibus, Fisci vice fungentes, succedere jubentur.

Samaritanorum ergo duae classes ibi distinguuntur: eorum, qui *liberi* erant, et eorum, qui *servorum* instar, dominorum nomine agros colebant. Illi, postquam Genti samaritanae non amplius licebat Munera gerere civilia et militaria, ut Armeni, et Graeci nostrâ aetate Constantinopoli, et Copti in Aegypto, mercaturae reique numulariae operam dedisse videntur, unde factum est (ut observat Casaubonus in Commentario ad Aelii Lampridii *Heliogabalum*, cap. 3°), » ut Constantinopoli *Samaritae* vocarentur *mini-* » *stri mensariorum*, qui rationes conficientibus aderant, et iis subscribebant. Justinia- » nus in Edicto, *Περὶ ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων* cet." (2). Iisdem fere Muneribus penes Turcarum Magistratus in Palaestinâ, fungebantur Samaritani ad finem seculi 17[i], quin teste Ed. Robinsono anno item 1838 (3).

---

(1) Vid. Spangenberg. in ed. *Novell.* Gott. 1797 fol. p. 582 seqq., coll. Photii *Nomocan.* tit. X. c. 8, et Balsamon., tum in Scholio ad h. l., tum ad tit. IV. c. 7. p. 52 (ed. Lut. Paris. 1650. 4° p. 118). Ad Novellam CXXIX et CXLIV conff. in primis Cujac. Opp. (Neapoli 1758 fol.) Vol. II, p. 1152 seq. — Cum iis Imperatorum romanorum *de Samaritanis* Decretis, Edicta conferantur Imperatoris Frederici, eo consilio edita, ut *Moslimorum* reliquias, *in Sicilia* ex pristinâ Arabum in hac terrâ dominatione superstites, penitus deleret. Vid. *Lettre a* M. Caussin de Perceval, *sur les diplômes conservés dans les archives de la Sicile*, par M. Noël des Vergers, in J. A. 1845. 4e série, Tom. VI. p. 340 seq.

(2) Haec Casaubonus. Edictum memoratum *nonum* est, et exstat in *Corp. Jur. Civ.* ex ed. J. L. G. Beckii (Lips. 1836, 8°), Tom. II. Part. II. Vol. II, p. 1158 seqq., ubi p. 1160 in cap. 2. §. 1 verba leguntur, quae Casaubonus deinde citavit: *εἰ μέντοι γε λογισμοὺς —— καὶ γράμματα φέροι αὐτοῦ τοῦ τῆς τραπέζης προεστηκότος, τοῦ γε ὑπογραφέως αὐτοῦ, οὓς Σαμαρείτας καλοῦσι κ. τ. λ.* Ibi ergo, factâ mentione de *rationibus exponendis*, sermo fit *de eo*, *qui mensae est praepositus*, et *ipsius scribae*, quos *Samaritas vocant.*

(3) *Verum est*, sic scribit Rob. Huntington anno 1696 in Epistolâ ad Job. Ludolfum (*Epistolâ* 33,

Samaritani igitur hoc vitae genus Constantinopoli, et in aliis Orientis urbibus agentes, divitias sine dubio collegerunt, quibus multorum lauta erat conditio (1), ac magna in res Christianorum efficacia. Quod quum aegre ferrent Imperatores, nec tamen prohibere possent, quominus Samaritani thesauros coacervarent, studuisse illi videntur, ut ipsorum haeredes ad summam egestatem redigerent, et spe, fore ut suis ipsi laboribus suam causam agerent, sublatâ, mercandi studium ipsorum enervarent.

Samaritani *agricolae*, quorum *major* pars in Palaestinâ, Syria, et Aegypto degebat, pluribus gaudebant Privilegiis, quae, ne ii tumultuarentur, ipsis videntur esse concessa. Nullo tamen modo his etiam permissum erat, ut Novella CXLIV disertis verbis declarat, aliquod Munus gerere *civile* vel *militare*, sive etiam partes agere *causarum Patroni*, *Assessoris*ve vel *Rhetoris*, *juventutisque Institutoris* (2). Nulli denique Samaritano eâ Lege conceditur, Servum habere christianum; eique Servo christiano, qui a Samaritano emtus sit, libertas ibidem restituitur, quae Servis samaritanis etiam promittitur, qui, Samaritanorum Cultu relicto, christianam Fidem amplecterentur.

Hae Leges igitur non modo Samaritanorum constantinopolitanorum conditionem illustrant, sed simul egregie inserviunt ad eorumdem eo tempore in Aegypto, Palaestinâ, et ubicunque ii in Regno romano orientali vixerint, res quodammodo explicandas (3). Constantinopolitanos enim non solos spectari, ét res ipsa docet; et vero etiam *caesariensis* Episcopi petitio, quae, ut e Novellâ CXXIX novimus, Justinianum adegit, ut hanc ederet, quia

---

p. 49), *eos* (Samaritas) *esse Scribas Bashae, seu Publicanos, ad telonia corradenda deputatos; quale officium exercent in Joppe, et uti audio, in Gazâ, prout Cophti per Aegyptum ut plurimum, et Judaei per reliquum pene Ottomannicum imperium.* Ed. Robinson (Tom. III. part. 1, p. 327), de Nabolosi incolis loquens, *Einer* (inquit) *von ihnen* (Samaritaner) *ist in vermögenden Umständen, und nachdem er eine Zeitlang Hauptsekretär des Mutesellim von Nâbulus gewesen, ist er einer der bedeutendsten und mächtigsten Leute des Ortes geworden. Er war kürzlich in seinen Einfluss bei dem Gouverneur durch einem Kopten verdrängt worden, und nahm jetzt nur die zweite Stelle ein. Er hiess* el-'Abd es-Samary.

(1) Sic intelligitur melius Sabae petitio, a Justiniano impetrantis, ut Ecclesiae in seditione anni 529 devastatae, partim ex aerario, partim *ex Samaritanorum facultatibus* restituerentur. Vid. Cyrilli Scythopolit. *Vita Sabae*, in Joh. Bapt. Cotelerii, *Eccl. Gr. Monum.* Tom. III, p. 346 seq.

(2) De variis Muneribus judicialibus, et conditione institutionis, vid. von Savigny l. l. 1 Bd. p. 47 seqq., et p. 395 seqq.

(3) Magis haec illustrantur verbis Viri Consultissimi, modo dicti, quibus declarat, quam late pateret earum Legum vis et auctoritas. *Der Theodosische Codex* (inquit in *Geschichte des Röm. Rechts*, I Bd., p. 63) *obgleich er für beide Reiche als Gesetz angenommen wurde, war doch in Constantinopel, und zunächst für das östliche Reich verfasst worden. Noch mehr waren Justinians Rechtsbücher bloss für den Orient bestimmt, und die projectirte Eroberung von Italien konnte wohl keinen Einfluss auf die Auswahl für diese Rechtsbücher haben.* Cf. etiam, ibid. p. 398.

testatus erat Episcopus, Samaritanos meliores factos esse, et hos quietos se gessuros esse, ipse spoponderat. Deinde illud declarat mandatum ei Novellae insertum, hanc in *Provinciis* per consueta Edicta publicandi.

Minime autem miramur, Samaritanos in Legibus adeo indigne habitos, perinde atque Judaeos, publico contemtui expositos fuisse, cujus rei indicium etiam historia Regni justinianei offert. Ortà nempe seditione anno Regni ejus 5°, *Prasini* ab adversariis *Judaei*, *Manichaei*, et *Samaritae* nuncupabantur (1).

## §. 7.

### *De Samaritanorum Studio Literarum.*

Expositâ quaestione de locis, ubi Gens samaritana vixerit, ante quam ad Historiam sigillatim exponendam pergimus, videamus, quid de rebus suis ipsi scripserint, utque haec disquisitio rite instituatur, paucis disseramus de Studio universo, ab eo Populo variis temporibus in Literis collocato.

*Priscos Judaeos* Literis multum operae navasse, Libri testantur V. T, tum *soluto*, tum *ligato* sermone conscripti. *Reliquos veteres Hebraeos* Literarum Studio minus inclaruisse, quoniam *pauca* tantum monumenta hodie supersunt, statuere non licet. Carmen v. c. Deborae, Vaticinia Hoseae, et fortasse Canticum Canticorum dubitare non sinunt, quin alia etiam Scripta in Regno ephraïmitico edita sint. Nec mirum est, haec paene omnia periisse. Meliore enim et eruditâ hujus Regni civium parte in Assyriam abductâ, ac novis Colonis, quorum *primo* post adventum *tempore* non interesset Scripta servare hebraïca, in abductorum locum translatis, et cum Indigenis superstitibus, iisque parum doctis, conjunctis, fieri aliter non potuit, quin Opera antiquioris aevi, nisi inter Judaeos haec propagata essent, omnia fere oblivioni traderentur. Neque Judaei pleraque Israëlitarum Scripta, quibus aliquando usi fuerint, diu servasse videntur. Haec, ut permulti Libri judaïci, quia sensus ii spirarent, temporum decursu improbatos, a Cultûs mosaïci sociis seposita, remota, perdita sint.

Literarum hebraïcarum Studium una cum Regno everso in mediis X Tribubus exstinctum, non prius iterum excitatum fuerit, quam judaïcus Jahves Cultus apud Samaritanos constitutus, et Pentateuchus ab iis recepti essent. Haec saltem Sacrorum emendatio magnae sine dubio efficaciae fuit in animos eorum, qui eum Cultum amplecterentur. Quid Gentium Cultum profitentes *antiquioribus iis temporibus* in Literis colendis praestiterint, latet. *Recentiori* aetate ex iis Viri nonnulli (ut observavimus supra p. 49) inclaruerunt Literarum laude insignes.

---

(1) Conf. Theophan. *Chronograph.*, p. 155; ed. Bonn. I; p. 280.

Literarum Studium, inter Jahvea cultores resuscitatum, primum praesertim, quia Judaei praecipui ejus Studii erant auctores, judaïco colore tinctum erat; quam notam illud deinde numquam prorsus missum fecit. Judaeos nempe Samaritani imitari non desierunt. Studia tamen hujus Gentis, ingenium ipsi proprium, et characterem nativum postea magis magisque retulerunt, et servarunt per varias Gentis, diversis Dominis subjectae, vicissitudines, quae vim singulae item suam in ea Studia exseruerunt.

Tres nimirum in Historiâ Samaritanorum literariâ distinguuntur periodi. *Prima* est a condito Templo garizimitano ad principatum, quem Romani in Palaestinâ obtinuerunt; *secunda* inde ad tempora Islamismi, ibidem constituti; *tertia* seculis continetur, quibus Samaritani Moslimorum imperio subjecti fuerunt.

*Prima* periodus Operibus conspicua est, Dialecto samaritanâ conscriptis, omnibus fere deperditis. Quae inter fuerint tum *Hymni*, cujusmodi Hizqiae, Pontifici cuidam, Alexandri magni aequali, tribuuntur (1), et quibus Cultum, paulo ante in Monte garizimi instauratum, exhilarare voluisse videtur; tum etiam *Chronicon* quoddam, historiam Gentis enarrans, quo Auctor *libri Josuae* fonte usus fuerit in *majori* hujus Libelli *parte* conscribendâ. Superest tantum ex eâ periodo *Versio samaritana* Pentateuchi hebraeo-samaritani (2), Christi circiter aetate conscripta, et ante seculum tertium post Christum in *Aegypto* fortasse, *graece* reddita (3).

---

(1) *Act. Lips.* anni 1691, p. 169.

(2) Primum edita est a MORINO in *Polygl. pariss.*, deinde emendatius in *Polygl. lond.*, a BR. WALTONO. De eâ exposuerunt praeter alios, in primis G. GESENIUS in *Comment. de Pent. Samaritani origine, indole, et auctoritate*, Hal. 1815; deditâ operâ G. B. WINER, *de versionis Pentat. Sam. indole*, Lips. 1817.

(3) Conff. *Orientalia*, Tom II, p. 116. Opinati sunt nonnulli Auctorem Versionis samaritanae *Paraphrasi Onqelosi*, et graecum Pentateuchi samaritani Interpretem *alexandrinâ Versione* usos esse. Haec sententia, nondum satis investigata, et digna, quae accuratius perpendatur, minime vero abjiciatur, ut WINER l. l. p. 64 recte animadvertit, ob *odium*, quo Samaritani Judaeos persequebantur. Quod ut probaret, WINER jure monuit, Abû-Saîdum in Versione arabico-samaritanâ conscribendâ, Versionem arabicam Judaei Saadiae contulisse. Praeterea addere potuisset, Samaritanos Versionem Saadianam revisam per longum tempus non modo *ante*, sed etiam *post* quam Versio Abû-Saîdi propagata erat, legisse. Samaritani scilicet, odio isto licet imbuti, a *Judaïcis* tamen recipiendis nullo modo abhorrebant. Quot ii receperunt *traditiones* judaïcas! Cum *Dogmatibus judaïcis* item nonnulla placita sua antiqua temporum decursu permutarunt. *Ritus* porro ipsorum *sacri*, paucis exceptis, Cultumne judaïcum prorsus referunt? *Proclive* potius dicatur Samaritanorum ingenium ad ea a Judaeïs mutuanda, quae notas Cultûs samaritani characteristicas non delerent? Ejusque rei causa est in promtu. Judaei potissimum Cultûs mosaïci studium inter Samaritanos primum excitarunt, eumque Cultum constituerunt. Deinde per longum tempus permulti Judaei ad Samaritanos migrarunt. Et *Samaritanorum Moderatores quique sagaciores* cur

*Secundâ* enim periodo *graece* etiam scribere coeperunt, quod ex indiciis etiam, quae in Libro Josuae obvia sunt, apparet. Graecorum tamen Scriptorum pauca fragmenta modo servata sunt. Dositheus eâ periodo item floruisse videtur, quem Simonis Magi Coaevum, Sectaeque *Dositheorum* conditorem fuisse, ac multos Libros conscripsisse, ferunt (1).

Plura monumenta supersunt ex *tertiâ* periodo, quam *arabicam* appellare licet. Moslimis enim dominantibus, Literarum Studium, cujus amore ii flagrabant, inter Samaritanos iterum resuscitatum est, cum eoque, ob vulgarem usum Linguae arabicae, arabice item scribendi mos in dies magis invaluit. Vixerunt eo tempore multi Viri, variâ eruditione clari, quorum plura etiam Nomina et Scripta jam certo innotuissent, si in his explorandis eàdem, quâ in Codicibus Pentateuchi anquirendis, diligentiâ usi fuissent. Duo v. c. commemorantur Viri, quorum uterque Commentarium in Pentateuchum conscripsit; alter Çadaqa-ben-Manga-ben-Çadaqa (2), Philosophus, ut dicitur, Poëta, et Medicus celeberrimus,

---

meliora a Gente cognatâ adoptare subinde dubitassent? Talia vero aliquando introducta, atque usu deinceps sancita, *severiores* inter eos inscii fere tandem probabant. In Dogmata denique explicanda, modificanda, et mutanda, magnam vim exseruerunt tum *temporum progressus*, tum *variae* Gentis *vicissitudines*, quibus etiam effectum est, ut Moslimorum v. c. dominio subjecti, Samaritani ab his etiam quaedam reciperent, quae ad Arabes a Judaeis transiissent.

His scriptis, incidi in conspectum Dissertationis, quam Frankel praelegit Sociis primi conventûs Orientalistarum, cujusque titulus est: *Ueber die Zeit der frühesten Uebersetzer des A. T.* Contendit, Versionem samaritanam Pentateuchi hebraeo-samaritani post Mohammedem demum conscriptam esse, quum Lingua arabica magnos jam progressus fecerat per terras a Moslimis expugnatas. Hanc sententiam ideo amplectitur, quia in hac Versione multos invenit arabismos et dictiones, quae arabicam Linguam eo tempore tritissimam fuisse ostendant, cujusmodi neque in Targumim, neque in Midraschim, neque in Talmude reperiuntur. (Vidd. *Verhandlungen der ersten Versammlung deutscher und ausländischer Orientalisten*, Leipz. 1845. 4° p. 10).

(1) Vid. H. Reland. *Diss. Misc.* II, p. 15. In Operibus Dosithei fortasse fuit *graeca*, quam dixi, *Pentateuchi Versio.* Sic nimirum intelliguntur quodammodo *querelae de* Dositheo, *Mosis Octateuchum* (?) *innumeris fere in locis adulterante*, de quibus loquitur Eulogius alexandrinus apud Photium (in *Biblioth.*, cod. 230); vid. Gesen. *de Pent.i Sam.i origine* cet. p. 15. Quo facto idem fere Dositheo accidit, quod Hieronymo, quem ipsius aequales, ac si in Versione latinâ parandâ fraudibus usus esset, calumniabantur. Quantopere similem ob causam nonnulli Romano-catholici Protestantes criminati sint, notum est!

(2) Commemoratur hic Vir in 'Ibn-'Abî-'Oçaibiae (ابن ابى أُصَيْبِعَة), mortui anno 668 (1269), Opere: عيون الانباء فى طبقات الاطبّاء, id est: *fontes relationum de classibus Medicorum.* Scriptio منجا (pro quâ alii legunt ميخا, alii يختا) nititur auctoritate, tum Codicis L. B., quem laudat van Vloten *Spec. Philol.* p. 9. not. 2, tum Codicis Bibl. caesareae palatinae, quo usus est Joa. Georg. Wenrich, in Commentat. *de Auctorum Graecorum Versionibus, et Commentariis Syriacis, Arabicis* cet. Lips. 1842, cf. p. IV, XII—XV, et p. 208. Ex loco postremo apparet Çadaqam Commentarium etiam conscripsisse in Hippocratis *Aphorismos.*

mortuus anno Higrae 620 (p. C. n. 1223), summo favore fruens Principis ex Dynastiâ Aijūbidarum, Damasci imperantis, nomine *al-Malec al-Ādel*; — alter Mohaddibo '*d*-dīn-Jūsaf-ben-Abī-Saīd-ben-Ḱalef, Medicus tum aliorum, tum etiam *Çalāho* 'd-*dīni*. Hic (1) Discipulus erat nobilis etiam Samaritani, Ibrahīmi, cognomine Šamso 'l-ḫocamāi, sive *Solis Sapientium*; ac nepotem habebat Amino '*d*-daul*am* Abū 'l-ḫasan-ben-Gazzālī-ben-Abī-Saīd, Virum non de *Medicinâ* tantum, sed de *Historiâ naturali*, et *Astronomiâ*, Scriptis bene meritum (2): quibus addi potest alius Medicus illustris, Damascenus item, Al-mowaffeq-Jaqūb, seculo 13° florens (3).

In primis vero eo etiam tempore Studio incubuerunt *Pentateuchi*, quo nihil iis gratius, dignius, sanctius erat. Novos huic Studio animos addidit primum Versio *Saadiae* judaïca, quae per longum tempus inter Samaritanos quoque usu trita, et iis in locis tantum, ubi Codex judaïcus a Codice hebraeo-samaritano differebat, ab Abū 'l-ḫasano, ut videtur, emendata erat. Haec vero emendata Versio, quia multis displicebat, Abū-Saīd in Aegypto fortasse, Pentateuchum hebraeo-samaritanum denuo arabice vertit (4); quae Versio quum temporis decursu graviter corrupta esset, revisa esse videtur ab Abū 'l-baracāto, qui praeterea Commentarium in eum conscripsit (5).

Praeter hunc duo alii etiam, ut modo vidimus, Commentarios in Pentateuchum composuerunt, hodie usque nondum repertos, si nimirum neuter eorum Auctor est, sive *ejus*, cujus partem, interpretationem exhibentem Gen. XLIX, edidit SCHNURRERUS (6), sive *ejus*, cujus fragmenta, quae partem Geneseos, Exodi, et Levitici commentantur, Cod. londinensi N°. 5481, in Museo britannico inter Libros harlejanos servato, continentur (7).

Samaritani, interpretationi Pentateuchi operam navantes, *Theologiam* non intactam reliquerunt, ad quam tractandam Arabum etiam exemplum eos excitavit. Operibus theologicis duo annumerentur Opera Abū 'l-ḫasani Tyrii, quem jam commemoravimus; prius *de Ritibus, et Dogmatibus Samaritanorum*; posterius *de Vitâ futurâ* (كتاب المعاد),

---

(1) Mortuus est Damasci anno 624. Vid. Hadji Khalifa, ed. Flüg. II, p. 463.

(2) VAN VLOTEN l. l. p. 9—11. (3) Vid. Abū 'l-farag. *Hist. Dyn.* p. 525, coll. 343.

(4) Hanc Versionem descripsit, utens Cod. leyd., tum VAN VLOTEN, in *Spec.* laud.; tum etiam, aliis Codicibus praeterea in subsidium vocatis, DE SACY, qui primum *latine*, in J. G. EICHHORNII *Allgem. Bibl. der bibl. Liter.* 1800, Tom. X, p, 1—176, deinde *gallice* et *plenius*, anno 1808, in *Mémoires de l'Academie des Inscriptions et belles Lettres*, Tom. XLIX, p. 1—199 de eâ disseruit.

(5) Multos hujus Commentarii locos edidit DE SACY in *Mém.* l. l., de quibus, et de emendatâ *Abū 'l-baracāti* Versione ipse exposui in *Orientt.* Vol. II, p. 113 seqq.

(6) In J. G. EICHHORNII *Allgem. Repert.*, Tom. XVI, p. 157 seqq.

(7) Conf. GESENII *Anecdota Orientalia*, Lips. 1824, p. 13, coll. p. 1, 4 et 5.

ubi haec doctrina argumentis, ex Gen. IX. 5, et Deut. XXXII. 35, 36, 39 desumtis, defenditur (1). In Epistolâ, a *Salāmā* anno 1820 ad de Sacyum missâ, alius Liber laudatur: *Explicatio pericopes de dis quo resurgunt, ut in judicium veniant coram Rege scientissimo* (شرح صورة يوم القيامة يبن يدى الملك العلام), quem is magni facit, et ex quo idem in Epistolâ ad Senatorem Gregorium (*Gregoire*), anno 1810 scriptâ, hunc locum tradit: » *vestes eorum non conterentur vetustate, et odor eorum erit, ut myrrha* » *excellens.*" Auctor dicitur *Sapiens Sapientium, Vir unicus, Judex* (العالم العلام الواحد الديّان) (2).

---

(1) De utroque Opere cf. Gesen. l. l. p. 13 et 14.

(2) Conf. de Sacy, *Not. et Extr.* T. XII, p. 131, coll. p. 107, et p. 122. Ex *Antiquioribus* de Samaritanorum Dogmatibus praesertim exposuerunt Epiphanius (ed. Pet. I, p. 24 seqq.), et Joa. Damascenus (Cotelerii *Eccl. Gr. Monum.* Tom. I, p. 282 seqq.).

His jam scriptis, ad me deferebantur plagulae typis jam expressae Catalogi Codicum orientalium, qui in Bibliothecâ Instituti Regii, Amstelodami servantur, et quos descripsit cl. H. E. Weijers. Plagulas illas oculis perlustrans, Codicem animadverti arabicum, Opera complectentem samaritana, accurate et copiose ibi descripta. Quae quum vidissem dignissima esse, quae ad publicam notitiam perducerentur, eorumdem, post absolutam Libri Josuae editionem, typis exprimendorum consilium inii. Nunc vero, ut praecedentia suppleantur, et magis illustrentur, Opera et Auctorum Nomina breviter commemorasse sufficiat.

Cl. Weijers de eo MS. ibi exposuit p 48 seqq. Est Codex N. XXVII. Anno 1680 die 27° Maji eum nactus erat (a quonam latet) Chaeus Cornelius Uythage; postea in Bibliothecam delatus est Walraveni, ex quà eum emit Willmetus. *Decem* complectitur Opuscula.

P. 1—201 duo Opera habentur *Grammatica*. Prius posterioris est compendium, in quo tamen nonnulla, quae judice Epitomatore in Opere majore desiderarentur, addita sunt. Operis majoris, quod exstat p. 37—201, titulus est: كتاب التّوطئة فى نحو اللغة العبرانية. Agit ergo de *Syntaxi Linguae hebraeae*, id est *samaritanae*. Auctor ibi dicitur ابو اسحق ابرهيم ابن فرج بن ماروث, et ab Epitomatore vocatur: ابو اسحاق شمس الحكماء. Idem ergo est, atque is de quo p. 57 locuti sumus; magni nominis (ut W. p. 55 observat, collato Ibn Abi-'Oçaibiae Opere) Medicus, artem suam in Aulâ Çalāho'*d*dini olim exercens.

2) Opus Epitomatoris, cui nomen est: العزر بن سيدنا هكهن [הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל] هكهن هجدول بوسف هجدول فينحس ابن سيدنا هكهن هجدول, qui vixerit posteriori parte seculi H. IX, inscribitur: مختصر التّوطئة, et exstat p. 1—37.

3) A p. 202—220 exhibentur *12 Capitula*, in quibus *12 Canones grammatici* traduntur, in legendo Textu sacro hebraeo observandi, qui vero Scriptoris aetate a multis negligebantur. Titulus est: قوانين المقرا [מִקְרָא]; et Auctor ابو سعيد, notus ille, ut videtur, Abū-Saïd, Auctor arabicae Pentateuchi Versionis.

**Praeterea Samaritanorum Dogmata ex aliis quoque monumentis cognoscuntur, in quibus simul conspicuum est Cultûs sacri exhilarandi Studium, quo ii pariter atque Judaei fere-**

---

4) A p. 223—264 Libellus est *Dogmaticus*, cui titulus praefigitur: قال الشيخ الفاضل الحكيم موفّق الدين صَدَقَة الاسرائيليّ الخ. Hic exponit de Doctrina Religionis, quae Dei hominisque naturam, et Cultum Illi debitum spectet. E Pentateucho haec colligit, et sigillatim disputando enucleat. Auctor ergo idem est, qui p. 57 jam occurrit, Medicus, ut WEIJERS monuit, Principis 'al-Malic*i* 'l-Ăšraf*i*, filii 'al-Malic*i* 'l-Ădil*i*, Çalāḥo'*d*din*i* fratris; et mortuus est Ḫarrane brevi post annum 620.

5) Libellus a p. 265—289 titulum habet: مقالة فى مُلَخَّص شرح سُوَر بَلَف املاء المعلّم غزال ابن الدُّوَيْك [diminutivum vocis دُوك, lat. *dux*]. Auctor Balaq*i* et Bibam*i* historiam illustrare, et in Lectoris utilitatem convertere conatur. Sectiones (קִצִּן), nomine ex Al-qoran*i* capitibus sumto, dicuntur سُوَر, collectivum τοῦ سورة.

6) Breve excerptum est p. 290, in quo *post reditum ex captivitate summus Sacerdos* עבר אל *filium suum in matrimonium dedisse fertur filiae Sanballati, addito mandato, ut is Legem ipsum doceret.* Videntur Samaritani nomen illud pronuntiasse עֲבְרָאֵל, quo Pontifice illi in terram suam rediisse dicuntur in ED. BERNARDI excerptis, quae *Actis Eruditorum Lips. anni 1691* inserta sunt, p. 168. Illi loco haec inscribuntur: حكاية منقولة من المبسوط العبْرانيّ. *Opus* ergo aliquando inter Samaritanos exstitit *historicum*, in quo hujus Gentis res gestae sigillatim, et enucleate exponebantur (quae vis est vocis المَبْسُوط), idque Opus tempore Jaqûb*i* Librarii, qui hunc locum, et majorem partem Codicis descripsit anno H. 893, adhuc ferebatur. Latet Operis Auctor.

7) Parvus est Tractatus (p. 292 seq.), cujus Auctor *Abû-Sa'id* causas explicat, tum quae Jaqobo ad Josefum in Aegyptum tendenti (Gen. XLVI. 1 et 3), tum etiam, quae Abrahamo post devictos 5 Reges, societate junctos (Gen. XV. 1), metum incusserint. P. 315 locus citatur sumtus e *Scholiis ejusdem in Decalogum.*

8) Alius sequitur Tractatus (p. 293—296), cujus Auctor latet. De 15 locis agitur, e Libris Exodi, et Numerorum, in quibus Israëlitae querelis suis Mosi et Aaroni molestias creasse, ac Deum tentasse, et divina Majestas (הַכָּבוֹד) se manifestasse, dicuntur.

9) Etiam est Tractatus (p. 297 seq.) ignoti Auctoris, ubi *quaestiones* et *responsa* habentur, cum interpretatione Pentateuchi conjuncta.

10) كتاب التَّوْبة (p. 304—319), cujus Auctor dicitur: ابو الحسن ابن المرحوم غنائم بن الشيخ العلّامة الفاضل الحكيم النّفيس ابى الفَرَج ابن كثار. Hic collegit eos Pentateuchi locos, qui poenitentiam morumque emendationem spectant, et passim suae de his disputationi, aliorum e Popularibus suis de eodem argumento dicta inseruit. Auctor aliunde nondum cognoscitur. Ex Scriptoribus ab eo laudatis, p. 309 citatur: 1) الشيخ الامام العالم العلّامة الحكيم منجّا [sic] ابن الشاعر رضى الله عنه شارحُ الكتاب الشريف البَسيط والوسيط والوجيز. Scripsit ergo *tres Commentarios in Pentateuchum*,

bantur. *Liturgias* intelligo, s. *Carmina*, aut *Hymnos*, quorum *locos nonnullos*, e medio sumtos, primus edidit CASTELLUS (1), *integra* vero *6 Carmina*, ac *duorum magnam partem* GESENIUS (2). Haec Carmina Dialecto samaritanâ conscripta, et pleraque arabice conversa sunt. *Textum samaritanum*, de cujus aetate non constat, nisi quod *recentior* est *Versione samaritanâ*, nonnulli existimant *Periodo arabicâ* esse *antiquiorem*, ac si sub Moslimorum dominio Dialectus samaritana in oblivionem prorsus abiisset. At etiamsi verum est, hanc Gentem, arabicâ Linguâ in omnibus locis Orientis, ubi illa dege-

---

*unum amplissimum*, *alterum mediae magnitudinis*, *tertium magis etiam in compendium redactum.* Liber ejus, ex quo locus ibi descriptus est, titulo insignitur: كتاب الخُلْف المعروف بمَسائل الخلاف.

2) p. 310 citatur Opus فرائض الشريعة المقدّسة, Auctore موفّق الدين الجهبذ, diverso, ut videtur, ab Auctore p. 57 memorato. Hic enim ab Ibn Abī-Oçaibi'a (MS. leyd. 59, fol. 95 et 179 v.) dicitur: موفّق الدين ابو يوسف يعقوب ابن ابى اسحق غنائم الدمشقى السامرى. De eo locutus est WÜSTENFELD. *Gesch. der Arab. Aerzte*, p. 144, n. 239.

3) P. 314 Opus laudatur شرح العَشْر كَلِماتِ الشريفة, Auctore الشيخ الامام القُدْرة الحافظ أَمِين الدين ابو البركات المعروف بابن حكيمه.

4) P. 315 الشيخ السديد ابو سعيد, cujus *Scholia* citantur *in Decalogum.* Vid. etiam supra p. 59.

5) P. 317 الشيخ الامام العلامة ابو الحسن الصُّورىّ (idem, de quo diximus p. 57), cujus verba hebraïca, quae ibi traduntur, exstare dicuntur: فى صَلات الصُّغيرة فى السَّجْدة الخامسة.

6) p. 318 الشيخ غزال ابن درثا, cujus verba adducta desumta sunt e *Precatione samaritanâ.*

---

Librarius denique, pleraque partim anno H. 892, partim anno 893 describens, erat Damascenus. In subscriptione Libelli 2i se ipse nuncupat: المملوك يعقوب بن محاسن بن عبد الله بن محاسن يعقوب — السامرىّ اليوسفى, et p. 319 الرّيسىّ السامرى الاسرائيلىّ الموسوىّ المذهبِ الدمشقىّ النسبِ الموسوى المذهبِ. Eo tempore Samaritanos etiam habitasse in Vico prope Heliopolin, cui nomen راس العين, apparet ex subscriptione Libelli 5i. Vid. WEIJERS l. l. p. 60 seq.

Haec maximam partem desumsi ex iis, quae festinantius olim, et verbotenus, credo, subinde, excerpseram ex plagulis Catalogi illius, typis expressis.

(1) Passim ii obvii sunt, ét in *Lexico Heptaglotto*, ét in *Animadversionibus Samariticis*, quae *Polyglottorum londinensium* Tomo VI° insertae sunt.

(2) In *Anecdotis* laudatis. Usus est tum Codd. Goth., tum iisdem, quos in suos usus converterat CASTELLUS, sed *foliis turbatis*, quae GESENIUS, postquam animadverterat, pleraque Carmina ad Literarum seriem esse composita, in ordinem redegit.

bat, principatum tenente, arabice loqui vel ultro coactam esse; etiamsi deinde verisimile est, indoctos Samaritanos temporis decursu arabicae Linguae ita assuefactos esse, ut hanc melius, quam sermonem avitum intelligerent, et sic constat, Eruditos in horum gratiam textui Carminum samaritano versionem arabicam apposuisse, ac Libros etiam, in his Librum Josuae, et Abū 'l-fath Chronicon, arabice conscripsisse; haec quamvis vera sunt, minime tamen statuendum est, *oblivioni traditam* esse sub Arabum imperio Dialectum samaritanam, cujus Samaritani paulo doctiores tenaciores erant, quam ut eam missam facere possent. Hanc non minus quam Proavorum Scripturam ii quovis modo tueri studebant. Priscam *Scripturam* vindicabant *Libris arabicis* quoque, ut ex Libri Josuae Codice v. g. conspicitur, *samaritanicis Literis* scribendis. *Linguam* priscam tuebantur, Dialecto antiquâ, ubi eâdem utendi copia data esset, adhibendâ, v. c. in Epistolis nonnullis, quas in Europam miserunt. Hanc igitur, quam in *vitâ domesticâ*, et *publicâ* servare non poterant, Eruditi in *Rebus sacris* retinere annitebantur. Sic Carmina illa recentiori etiam aetate conscripserunt, quorum *Textus samaritani* Nabolosi fortasse diutius viguit, quam in Coetibus aegyptiis et syriacis, et praesertim Damasci, ubi *Versio arabica* ut adderetur, prius forsitan opus fuerit, quia arabica lingua non unam ob causam breviore tempore ibi invaluit, et altiores radices egit. Et vero ea Carmina arabicâ Periodo antiquiora esse nequeunt. Loci nonnulli id docent, qui *de Religionis doctrinâ* agunt, qua de re alio tempore dicemus. Deinde, quod Gesenius jam observavit (1), ex *arabicis Auctorum nominibus* id patet, cujusmodi sunt Çafī al-Mergānī (صفى المرجانى) (2), Abū 'l-fath-ben-Jūsaf (ابو الفتح بن يوسف) (3), Çadaqa-ben-Ismāil (صدقة بن اسماعيل) (4), Saado 'd-dīn-ben-Çadaqa (سعد الدين بن صدقة) (5): praeter quos alii etiam Poëtae laudantur, in his, Ab-Galuga (6), Jūsaf-ben-Ishāq (7), *Theologus Magnus* (8), alii.

Magna Poëseos laus iis Carminibus tribui nequit, quod Gesenio etiam visum est. Loci tamen non desunt egregiis sententiis, ac dictionis sublimitate conspicui. Artificiosa est compositio. Rhythmo haud neglecto, saepe, non vero ubique articulorum observatur aequalitas, in veterum Hebraeorum Carminibus saepius conspicua, sed Metrum, ut in iis;

---

(1) *Anecd.* p. 17 seq. (2) Ibid. p. 17, 31, 77. (3) Ibid. p. 17, 33, 85.
(4) Ibid. p. 5. (5) Ibid. p. 5. (6) Ibid. p. 4. (7) Ibid. p. 5.
(8) Sic Gesenius egregie explicuit (p 27 et 65) voces علهى جدول. Hoc nomen p. 1ª et 30ª Codicis legitur, qui in Musei londinensis Libris harlejenanis servatur, n. 5495. Ex cujus conspectu, quem debeo Amico doctissimo Dozyo, qui Londini morans anno 1845, eum mihi parari curavit, Carmina animadverti, quae exstant p. 1, 4, 15, 22, 23, 26 et 27, a Gesenio non esse edita. Ex Carminibus p. 23 primum est Carmen *in Sabbathum circumcisionis*, cui Carmina adduntur *in laetitias*, id est in *laetos dies*. P. 15 exstat Carmen *arabicum* Poëtae, qui dicitur *Al-mottese*.

sic in his samaritanis poëmatibus nullum est. Saepe hic praeterea occurrit Homoiosteleuton, et aliquoties Ordo alphabeticus, atque hic non modo in *versuum*, sed subinde etiam in *distichorum*, aut *tristichorum*, quibus versus interdum constant, initio. In Ordine tamen hocce alphabetico in 5 prioribus Carminibus, a Gesenio editis, Literae *gutturales*, ut saepissime item in multis vocibus samaritanis, suis locis invicem permutantur (1). Ceterum Carminum *forma externa* Psalmos V. T. universe refert, quibus tamen, ét virtutibus poëticis, ét sensibus religiosis, illa longe sunt inferiora. Horum autem Carminum samaritanorum specimina non tantum exstant in Codicibus, quibus Castellus, et Gesenius usi sunt, sed etiam Hymni ejusmodi *integri*, amplis ii verborum ambagibus, ac stilo fervido et tumido conscripti, et ejusmodi Hymnorum *fragmenta*, Libro Josuae inserta sunt, ubi *Hymnorum* item *fasciculus* (cap. XLVII) memoratur, qui una cum aliis Libris Hadriani aetate periisse dicitur. Hodie item *inter Samaritanos* Codices videntur superesse, Pentateuchum, Commentarios, Hymnosque exhibentes. Id nempe efficeres ex iis, quae Sacerdos samaritanus Robinsono anno 1838 dixit, etiam si iis dictis multa detrahantur. De *multis* is ad Robinsonum locutus est, *Precum fasciculis*, *Commentariis* cet., *et de 100 circiter* (*Legis*, ut videtur) *Codicibus*, qui, *Dialecto* et *Literis samaritanis* conscripti, tunc apud Samaritanos Sichemi servarentur (!) (2).

*Annales* denique, a Samaritanis conscripti, hic memorandi sunt, quorum duo Libri huc usque innotuerunt, arabice conscripti; alter *Liber Jūša'ae*, sive *Josuae* nuncupatus, cujus nonnulla *fragmenta*, et *universi argumenti expositio* typis edita sunt (3); alter est Chronicon, absolutum anno Higrae 756 (post C. n. 1355), Auctore Abū 'l-fatḥo. Duo hujus sunt exempla, *parisinum*, sed non integrum, et *bodlejanum*, olim Huntingtoni. Hujus *excerpta latina*, sed tenuia, primus paravit Ed. Bernardus (4). *Fragmenta* nonnulla, eaque *arabice* postea publici juris fecerunt, tum Schnurrerus ex suo Cod., qui ex bodlejano fluxerat (5), additâ Versione germanicâ (6); tum de Sacyus, ét illo,

(1) Falso enim Judaei perhibent, Samaritanos literis *He*, *Chēth* et *Ain* carere. Sic v. c. Binjamīn Tud., eos adiens anno 1173, in *Itinerario* ed. laud. p. 39, somniavit, haec addens, eosdem *Legem* Mosis agnoscere, *tribus iis literis exceptis*.

(2) Robinson *Palästina* III, p. 325 et 327.

(3) *Epitomen* totius Operis exhibuit J. H. Hottinger in calce *Exercitt. Antimorian.* Tig. 1644. Fragmenta haud pauca, sed sordide edita, et latine versa, idem Scriptis suis inseruit, in primis Libro, cui titulus est: *Smegma Orientale*, Heidelb. 1658. Nonnulla fragmenta, partim arabica cum latinâ versione, partim latine tantum versa, H. Relandus in *Diss. Misc.* Librum integrum ex unico Cod. leydensi, olim J. J. Scaligeri, brevi ipse editurus sum.

(4) Edita in *Act. Erud. Lips.* anni 1691. p. 167 seqq.

(5) Vid. Gesen. *Anecdot. Orient.*, p. 13 not. *f.*

(6) Paulus *Neues Repert.* Part. I, p. 117 seqq., et Paulus *Memorabiliën*, Part. II. p. 54 seqq.

et parisino Codice utens, ac gallice ea reddens (1). *Anglicam* hujus Chronici universi Versionem ex bodlejano Codice jam suscepit T. JARRET, quâ editâ de toto Opere melius judicare possimus.

Hocce Abū 'l-fathi Opere Historia enarratur ab Orbe terrarum condito ad Mohammedem usque (2). Ab aliâ tamen manu deinde, in Codice saltem bodlejano, anno 1596 conscripto, ea continuata est ad annum Higrae 898 (post C. n. 1492). Abū 'l-fathus, ad Chronicon suum componendum a Silâ summo Pontifice instigatus, varios Libros consuluit. In Praefatione loquitur de *Annalibus antiquis* et *recentioribus*, *hebraïcis* et *arabicis*, sibi ab eo Pontifice suppeditatos. Sequentes mox enumerantur: 1) *Annalium Liber hebraïcus*, sed *literis* conscriptus *arabicis;* 2) *Annalium Liber arabicus*, sed *literis hebraïcis;* 3) alius *Liber arabicus*, *literis* etiam *arabicis* exaratus, cui *Liber Josuae* additus erat. Praeterea *tres alios Annalium Libros* habebat *hebraïcos*, *hebraïcis* item *literis* scriptos, et Damasco allatos (3).

De his autem Codicibus Abū 'l-fathus ita disseruit, ut vix dubium esse possit, quin *diversa Scripta* iis contineri opinatus sit. Quod si sumere licet, multum operae Samaritanos in *Historiâ* conscribendâ posuisse apparet. Alia ergo, praeter duo jam nota Chronica, ut aliquando in lucem proferantur, sane optandum est. Unum, a duobus illis certo diversum, CELLARIUS memoravit (4): *Liber* est, inquit *historicus*, *Ebraeo Rabbinico* (!) *stilo compositus*, *auctore* SEDUNÂ (?سيدنا), Gazensi Patriarchâ. Alterum videtur citari a DE SACYO (5), *Chronicon*, nempe *arabicum samaritanum*, quod absolvitur regno Kalifae *ar-Radii*, et anno Higrae 322 (p. C. n. 934). Tertium novimus supra (in notâ ad p. 59), titulo insignitum المبسوط العبراني, quod unum fortasse fuit ex iis Scriptis, quos Abū 'l-fathus consuluit.

De alio denique Chronico fortasse sermo fit in calce Libri judaïci, cui titulus est *Sefer Jūchasīn* (ספר יוחסין), sive *Liber Prosapiarum*, Auctore RABBI ABRAHAM BEN R. SCHEMŪEL ZACŪT, Hispano, florente seculo 15° exeunte (6). Huic Libro R. SCHEMŪEL

---

(1) *Chrest. Arab.* Tom. I, p. 333 seqq. (2) Cf. EICHH. *Repert.* Part. IX. p. 45.

(3) Conf. PAUL. *Neues Repert.* l. l. p. 118 seq. — Abū 'l-fathum Librum Josuae consuluisse, apparet ex Operis illius fragmentis editis, cum Codice Libri Josuae leydensi collatis. Quae enim de *expeditione Alexandri m.* ab Abū 'l-fatho feruntur (vid. DE SACY l. l. p. 337 seq.), in Libri Josuae cap. XLVI *eodem* fere *ordine*, sed *aliis verbis*, alia *brevius*, *copiosius* alia enarrantur. Quae in Cod. leyd. desiderantur, v. g. *disputatio* de *Sectis samaritanis* (DE SACY l. l.), et de *graecâ Pentateuchi samaritani Versione* (ibid. p. 347 seq.), haec et alia Abū 'l-fathus ex aliis fontibus hausit.

(4) *Collect.* p. 48. Addit ibid.: *de quo* HOTTINGERUS *in Smegmate potest consuli*, *qui tantummodo* Relationem *vocat*. Locum apud HOTTING. non inveni.

(5) *Mém. de l'Acad. des Inscr.* Tom. XLIX, p. 51.

(6) WOLF. *Bibl. Hebr.* Tom. I p. 277, et 279—282.

Schûlam, qui eum suis notis instructum primus edidit Constantinopoli anno 1556 (1), locum addidit, qui duabus postremis paginis continetur, quem se alibi reperisse testatur, et verbotenus mox descripsit. *Vidi*, sic ait, *in Annalibus Cuthaeorum, et commemorarunt* (hi), *quae in Commentario quodam* (מדרש) *Judaeorum viderant.* Quibus dictis sequitur narratio *expeditionis, quam Schaubac, Rex Armeniae minoris* (ut *ibi* dicitur) *suscepisset ad Josuam, postquam is Canaänem expugnaverat, debellandum.* Haec autem summatim convenit cum iis, quae in Libro Josuae a cap. XXVI—XXXVII de eâ expeditione feruntur; quare J. H. Hottingerus (2) eumdem locum Libri *Jûchasîn*, sed ex alio Opere judaïco: *Schalschèleth Hakkabbala* (שלשלת הקבלה), id est *catena traditionis*, Auctore R. Gedaljà, seculo medio 16° vivente, citans, existimavit, *Annales Cûthaeorum*, ibi laudatos, ipsum esse *Josuae Librum.* Quia vero, ut Hottingerus passim etiam testatur, eorum capitum argumentum ubique in compendium redactum est, ac nonnulla etiam interdum adduntur, quae in *Libro Josuae* desiderantur, alia vero alio etiam modo, quo in eo Libro, narrantur, statuendum est, vèl Judaeum illum, cujus verba R. Schemûel Schûlam retulit, Libri Josuae Codice usum esse, a Codice leydensi magnopere diverso, eumque hunc *excerpsisse*, vèl *aliud Opus historicum samaritanum* eum consuluisse, cujus Auctor sive ex eodem fonte, quo Scriptor Libri Josuae, hauserit, sive, si hunc Librum secutus sit, eam historiam in compendium redegerit, aliisque fontibus praeterea in suos usus conversis, alia mutaverit, alia addiderit.

Num vera dixerit Schemûel Schûlam, perhibens *Samaritanos hanc historiam ex Scripto quodam judaïco sumsisse*, non constat. Liber judaïcus ignoratur, et in Libro Josuae ejus rei ne verbo quidem fit mentio. Attamen si alias attendimus narrationes, eo in Libro obvias, illud non improbabile est. Ea enim, quae de *litigatione Judaeos inter et Samaritanos de Codice Pentateuchi* (cap. XLV), de *Alexandro magno* (cap. XLVI), de *Hadriani cum Sacerdote hièrosolymitano colloquio* (cap. XLVII), alia, in Josuae Libro traduntur, maximam partem cum iis conveniunt, quae Flavius Josephus, aliique Judaei de iisdem rebus retulerunt. A Samaritanis haec tantum mutata et exornata sunt, ubi necesse erat, ut hujus Gentis usibus ea accommodarentur.

Superest ut videamus, quam praestent utilitatem Liber Josuae et Abû 'l-fathi Chronicon in Historiâ samaritanâ illustrandâ. Summis tamen labris eam quaestionem h. l. tangemus. Nam de *illo* Libro deditâ operâ nobis disserendum est in Prolegomenis, ejus Libri editioni praemittendis: ac de Abû 'l-fathi opere melius demum et consummatius judicare

(1) Wolf. l. l. Tom. I, p. 1122 et 104.

(2) *Hist. Orient.* Tiguri 1660, p. 61 seqq. Ibi tamen locus Libri *Jûchasîn* non ad finem usque describitur, neque etiam *ubique* cum ed. Constant. ejusdem Libri convenit.

poterimus, si Chronicon hocce *universum* ad publicam notitiam pervenerit. Editis autem Abūl-fathani Chronici *fragmentis*, et BERNARDI *excerptis*, cum Josuae Libro collatis, magnam animadvertimus inter utrumque Librum differentiam. Abū'l-fathus Historiam plenius enarrasse videtur, ibique res melius etiam cohaerent. In Libro Josuae contra res *nonnullae* tantum, sed hae satis ample, exponuntur. Longa enim hic sunt temporum intervalla, de quibus altum tenetur silentium, magnaeque igitur inter res singulas, quae traduntur, sunt lacunae. Ab Elii v. c., et Samuëlis aetate, quorum Virorum, et praecedentium temporum historia, a Mosis morte incipiens, in prioribus XLIV capitibus exhibetur, in capite XLV confestim transitus fit ad Nebucadnezarem, capite XLVI ad Alexandrum magnum, et capite XLVII ad Hadrianum. Liber Josuae ergo praeter Josuae historiam, fuse expositam, nonnisi partium praecipuarum quarumdam Historiae descriptionem complectitur, quas vernaculo sermone dicas: *merkwaardige tafereelen uit de Geschiedenis des samaritaanschen Volks.* Neque ea, quae de Samaritanorum rebus post Josuae mortem traduntur, ad *Josuae Librum* primitus pertinuisse videntur, sed ut deinde ostendemus, ex aliis Libris ab arabe illius Operis Interprete ipsi addita sunt.

Diversum deinde etiam est utriusque Auctoris *scribendi consilium.* Abū'l-fathus *Historici*, sive *Annalium Scriptoris* partes egisse videtur, arabs Libri Josuae Interpres potius *Apologetae.* Ut nimirum Arabes nonnulli, lassum dolentes Moslimorum animum, et Religionem corruptam, Libris conscribendis, splendida Islamismi initia delineantibus, ejusdem causam promovere, pristinumque ardorem denuo excitare annitebantur, — quod studium nova deinceps incrementa cepit, quum periculum accessisset, ei Religioni per bella sacra, sive *cruciata*, quae vocantur, imminens, — ita, eorum Scriptorum arabicorum exemplum secutus, arabs Libri Josuae Interpres, qui hunc Librum non modo vertit, sed ita ornavit et auxit, ut novum Opus dici possit, hoc in primis voluisse videtur, ut Cultum suum commendaret, ac Samaritanorum animos ad hunc similiter tuendum inflammaret. Itaque Josuae aetatem, inclytas Israëlitarum in Terrâ expugnandâ victorias, fervidumque eorum eo tempore Legis mosaïcae studium, ac Reip. prosperitatem, et horrendas ob Legem postea neglectam calamitates, vividis coloribus depinxit. In his ergo describendis quam diutissime subsistit, haec traditionibus addendis exornat, et orationibus praesertim exhilarat longioribus, quibus Dei Cultum ac Legis observantiam inculcet. Quam ob causam Josuae aetatem, et tempora, ad Elium usque sequentia, potissimum spectans, ea quae *paulo ante* in Deserto facta sunt, Introductionis loco praemittit, et fata Gentis *ante Mosen* (quae Abū'l-fathus ab Orbis terrarum conditi initiis inde persequitur), prorsus omittit, atque ea, quae post Elium acciderunt, partim transit, partim, si haec cum antecedentibus comparas, levius tractat. In posterioribus hisce rebus exponendis, quae in Historiâ nobis tractandâ praecipue in censum veniunt, Auctor, exceptis fortasse nonnullis

sermonibus, qui ibi breviores et rariores sunt, quam in praecedentibus, minus *ipse* finxit, ac fontes pressius secutus est.

In hoc autem, pariter atque in Abu'l-fathi Chronico, desideratur prorsus, quae in plerisque Chronicis antiquis, ac praesertim orientalibus, frustra quaeri solet, *accurata* rerum *expositio*. Res exhibentur *traditione* propagatae, nec raro misere turbatae, temporumque progredientium sensui, et recentiori contemplandi normae deinceps accommodatae, ac miris insuper rebus, a Judaeis et Moslimis saepe mutuatis, sed mutatis quodammodo, auctae. Fabulae subinde inseruntur, quae quomodo oriri potuerint, is demum intelligit, qui *Traditionis* ortum, progressus et ornamenta inter Gentes minus excultas considerat, et *phantasiae* vim attendit Orientalium, qui, rerum pristinarum notiones veras non habentes, ac de Chronologiâ eorum temporum nullo modo sollicitì, conjungunt, quae conjungi nequeunt, et *Historiâ proprie sic dictâ* minus delectantur, quam *fictionibus* et *Legendis*, quae dicuntur, cujusmodi Weilius nuper edidit (1). — Nihilominus per media ista involucra *probabilis* rerum conditio aliquando pellucet; in primis in posterioribus Codicis Scaligeri Capitibus, ubi facilius ac certius de rebus narratis judicari licet, praesertim si ipsas cum aliorum Scriptorum dictis conferre possumus: quibus in censum vocatis, *haec* non modo *illas* saepe explicant, sed ea Scriptorum dicta ex iis interdum quoque confirmantur, illustrantur, augentur. Ii autem Scriptores si de rebus Samaritanorum, ut vulgo, tacent, cavendum est, ne Samaritanorum dicta temere sive repudiemus, sive recipiamus. Et sic videmus, quam necesse sit ad eorum ἀξιοπιστίαν indagandam, ut in fontes quos consuluerint, si fieri possit, inquiramus.

Quam gravis sit universa haec disquisitio, luculenter apparet, tum ex Pontificum Samaritanorum Catalogo, quem Bernardus ex Abû'l-fathi Chronico potissimum sumsisse videtur, tum ex disputatione de temporibus post Constantinum m., de quibus postea uberius locuturi sumus.

Haec reputans, quisque videt, majorem fuisse, ac jam fere ad irritum redactam esse spem, quam Brunsius (2), Bertholdtus (3), et Munterus (4) conceperant, fore ut Historia ex iis Chronicis valde amplificaretur: ob errores vero ridiculos, et graves anachronismos, quae iis revera insunt, ipsa tamen nemo cum Hengstenbergio (5) nullius pretii ducet. Aequius, licet parum consummate, de Josuae Libro jam ante locuti erant

---

(1) *Biblische Legenden der Muselmänner.* Frankf. a. M. 1845. 8º.
(2) Eichh. *Repert.* Tom. XIII, p. 289.
(3) *Einl.* Tom. II, p. 871.
(4) *Die Jüd. Kriege*, p. 12.
(5) *Authentie des Pentat.* I B., p. 41 seqq.

J. J. SCALIGER (1), J. H. HOTTINGER, CONSTANTINUS L'EMPEREUR, LUD. CAPPELLUS (2), et HADR. RELANDUS (3), in eo consentientes ei Libro falsis vera immixta esse, eumque, si recte intelligitur, multas ac varias utilitates praestare posse.

(1) *De Emend. Temp.* p. 627.
(2) Horum judicia exstant in *Praef.*, quam J. H. HOTTINGER *Epitome Libri Josuae* praefixit.
(3) *Diss. Misc.* Tom. II, p. 17 seq. P. 12—16 RELANDUS suam de Libro Josuae sententiam exposuit.

## II.

### Historia Gentis Samaritanae.

Ad Historiam Gentis samaritanae enarrandam pergentes, ab eo inde tempore incipiamus, quo novi Coloni in Palaestinam deducti sunt, sive a destructo Regno israëlitico. Samaritanae Gentis Historia inde vulgo inchoatur, nec sine causa, ut quisque sentit. Teneatur modo ab *iis* temporibus *totius* Gentis primordia non ducenda esse; quae si quis ab initio indaget, ab *hebraeae Gentis originibus* incipere ipsum oportet.

Ipsi Samaritani hoc perspexisse videntur. Hi enim, ut vidimus, haud contendunt, se ex aliâ quam Judaeorum stirpe ortos esse, verum unam eamdemque Gentem se cum Judaeis olim fuisse, affirmant. In eo tantum a Judaeis dissentiunt, quod *alio tempore* Gentem scissam esse perhibent. Hujus rei auctor ab illis in utroque Chronico dicitur *Ilī* (Eli). Relicto enim Monte Garizīmi, ubi a Josuà Templum conditum, Cultumque mosaïcum, moderantibus Sacerdotibus ex Finaḥasi, sive Pinehasi familiâ oriundis, perpetuo celebratum esse, fabulantur, *Eli Siluntem* abiisse, Sacerdotium sibi arrogasse, et novum Fanum condidisse, facinorum vero poenas mox luisse dicitur, quum Gentes finitimae ipsius exercitus fugarent, et Arcâ ab hostibus captâ, ac Filiis trucidatis, ipsi Patri, e sedili cadenti, cervix frangeretur (1).

Ex hisce apparet, quomodo Samaritani judaïcam Traditionem in suos usus converterint, ac deditâ operâ turbaverint, hoc scilicet solo consilio, ut Cultus sui, in Garizīmi, Monte oblati, ac Sacerdotum suorum causam agerent. Nempe universa fere Traditio samaritana, in Libro Josuae et Abū'l-fatḥi Chronico servata, originem ducit ex judaïcâ, quae post Cultum mosaïcum, eo in Monte constitutum, a Judaeis transfugis maximam partem in Samaritidem delata est, ubi in mediâ Gente samaritanâ temporis decursu novam quamdam formam accepit. Eam ob causam animum ea ubique spirat Cultui mosaïco addictum, sed Judaeis exosum; utque Gentis samaritanae causae ipsa faveret, multa, quae Judaeorum Libri referunt, 10 Tribubus parum honorifica, partim de industriâ oblivioni data, partim ita contorta sunt, ut Cultui ea garizimitano amplius nocere non possent.

(1) Haec habentur Libri Josuae capitibus XLIII et XLIV.

Sic v. g. Abū'l-fathus (1) Sacra a Jarobamo instituta memorat, sed ante monet *Cultum mosaïcum haud intermissum esse.* Et, quod bene notandum est, Rex ille non *Danem* et *Bēthelem* Sacris iis elegisse dicitur, sed *Danem* et *Sebasten.* *Bēthelis* nomini nomen *Sebastes* videlicet substitutum sit, ne quis *Bēthelis* vocem animadvertens, *Montem sacrum* cogitaret, quem, ut Epistolae docent, Samaritani etiam בֵּית אֵל nuncupabant.

Samaritani, qui Jahves Cultum profitebantur, Traditionem sic reficientes, ut suis ea consiliis satisfaceret simul et inserviret, omnes Judaeorum Libros, praeter Pentateuchum, necessario rejiciebant. His autem rejectis, non credibile est, nullum eos Libellum habuisse Gentis Annales complectentem, cujusmodi, Judaei, quibus illi continuo aemulabantur, ne alias Gentes dicam, possidebant. Ac profecto Liber quidam historicus, locum tenens Librorum, qui, a Judaeis *Prophetae priores* dicti, Pentateuchi erant supplementum, aliquando inter Samaritanos quoque exstitisse, sed mox neglectus, et tandem oblivioni traditus esse videtur. Summa enim Pentateuchi veneratio Samaritanos cohibebat, quominus eum Librum Pentateucho aequipararent. Haec causa fuerit, quare nulli veterum Scriptori ipse innotuerit, ac nemo antiquorum Ecclesiae Patrum, qui de Samaritanorum rebus retulerunt, de eo locuti sint. Hoc vero Libro, aliove saltem ejus generis Scripto samaritano usus est Auctor Libri Jūsa'ae, in Praefationis, ipsi praemissae, initio testans, *Annalium Librum* se arabice *vertisse.*

De rebus autem 10 Tribuum Samaritani in utroque Chronico tam pauca retulerunt, ut nisi cognita haberemus, quae Judaei in Scriptis V. T. de iis tradiderunt, omnem fere earum Tribuum Historiam ignoraremus. Ac paucae hae relationes, si solae ad nos pervenissent, in quam graves errores ipsae nos duxissent! Supra dictis unum exemplum apponam, ex eo Libro desumtum, quod ad Historiam, nobis jam tractandam, viam munit. Ibi, in cap. XLV, non *Schalmanazar,* sed *Nebucadnezar,* Samariae pariter atque Hierosolymorum incolas dicitur abduxisse, et per varias regiones asportasse, ibique eos *superesse* Auctor narrat. Hujus traditionis cum aliis Samaritanorum dictis dissensus CELLARIUM jam offendit (2), haesitantem, quid de eo statueret. HOTTINGERUS (3) nimirum ex Codice SCALIGERI ipsum docuerat, *communem Samaritanos agnoscere* (cum Judaeis) *captivitatem, tam sub Nebucadnezare, quam sub Hadriano;* SCALIGER contra contendit, quod in Epistolis ipsi Samaritani affirmaverant, *gloriari eos, se post expugnatam Canaänem numquam inde migrasse.* — At de dissensu sic judicetur. Quae in priore testimonio de *Schalmanazare* (nam hic cum *Nebucadnezare* confunditur) traduntur, ut notum est, vera sunt. Ac verum item, si *majorem* spectas *Gentis partem*, quae in Palaestinà reman-

(1) *Acta Lips.* l. l. p. 168. (2) *Collect.* p. 26. (3) *Enneas Diss.* p. 31.

sit, testimonium posterius, quod tamen si Gentem universam considerat, falsissimum est; et vana gloriola. Opinionem ergo, *Gentem universam Palaestinam nunquam reliquisse*, quomodo copulare *potuerint* Samaritani cum cogitatione, *Gentem* tamen *abductam esse*, ex aliis ipsorum dictis, quae tamen opinionum pugnam non componunt, *quodammodo* intelligitur; ex quibus liquet, *Exsilium* eos parum curasse, quia post ipsum sequebatur *reditus*. In eodem nempe Codicis illius capite statuitur, idque HOTTINGERUS non addidit, *abductos postea in Palaestinam rediisse, et Colonos similiter in suae terras iterum translatos esse*. Idemque Abū'l-fathus testatur. *Decem Tribus* ait (1) *in Edessam, Charranem, et Ninum, Assyrius abduxit, cum Acbiâ Pontifice, qui, Vasis sacris in monte Gerizim prius defossis, Legis volumen secum detulit. Anno vero 35° Abdeli Pontificis, in Terram sanctam, annuente Sauredio, redierunt tercenties mille Israëlitae cum familiis, duce Adi, filio Simeonis.* Videtis, quantopere et hîc Traditio judaïca vim suam in samaritanam traditionem exseruerit; simul vero, quam *accurate* singula definire studuerint. Quid veri tamen in iis lateat, quis dicat? Nonnulli fortasse Israëlitae, ut supra jam indicavimus p. 31, una cum Judaeis in Palaestinam redierunt, qui sive in Judaeam habitatum iverint, sive in sedes paternas reversi sint. Numerus, quem Abū'l-fathus tradit, major est quam Judaeorum revertentium, qui Ezr. II. 64, et Neh. VII. 66, fertur fuisse 42360. Atque *Adi* iste, *Simeonis filius*, quis sit, aut quomodo in traditionem irrepserit, Judaeorum Codex parum illustrat. Inter Reduces Ezr. II. 15, et Neh. VII. 20 *Adini filii* recensentur, et inter eos Ezr. VIII: 6, *'Ebed filius Jonathanis!*

Discrimen porro observetur in judaïcae et samaritanae Traditionis, narrationibus de *leonibus, cladem inter Colonos edentibus*, ac de *misso Sacerdote, qui Cultum Dei israëlitici Bēthele instauraret*. Haec leguntur 2 Reg. XVII: 25 seqq., ubi in colo 27 vocabulum אחד, ex colo sequente derivandum, omittatur. Vario modo haec alibi traduntur, et exornantur. Nomen Sacerdotis dicitur *Uzia*, et *Azarja* (2). JOSEPHUS deinde (3) non de *leonibus*, sed de *peste* loquitur. Samaritani vero, ob hanc conversionem, a Judaeis dicti *Proselyti leonum* (גרי אריות) (4), in cap. XLV Libri Josuae, *Sacerdotis* illius, ac *leonum*, mentionem omittentes, de *frugibus* fabulantur et *fructibus, in Palaestinâ crescentibus, externâ formâ pulchris, intus vero corruptis, et noxiis. Coloni ergo*, sic pergunt, *Literas ad Regem scripserunt. Qui, quum ex Principibus*

---

(1) Est versio BERNARDI in *Actis Lips.* p. 168.

(2) ABŪ'L-FARAG. *Hist. Dyn.* p. 65, coll. *Chron. syr.*, p. 25.

(3) *Ant.* IX. 14. 3.

(4) Vid. locus ABRABANELIS apud F. J. SCHWARTZ. *Exercit. hist. crit. in utrumque Samaritan. Pentateuch.* p. 32.

*Israëlitarum cognovisset, eam esse poenam ob omissum Dei Cultum, Terrae illatam, veniam iis dedit in Patriam redeundi, Templique cum Cultu sacro restaurandi. Quo beneficio dum Gens universa confestim utebatur*, Judaei se ei *adjunxerunt* (1). *Judaeis autem Templum hierosolymitanum, non garizimitanum, restituere cupientibus, lis orta est Zorbabelem inter et Sanballat*um, quae *quum ad Regem dirimenda delata esset, Sanballati causa superior evasit. Huic ergo Terrae principatus committitur, atque, Colonis peregrinis ex Palaestinâ dimissis, Resp. Samaritanorum in integrum restituitur.*

Haec Samaritani, ut *Gentis* suae *integritatem* tuerentur! Quid autem de *Sacerdotis missione* statuendum sit, non dubium est. Variis Palaestina affligebatur calamitatibus, fame sive inopiâ, morbis, ac ferarum audaciâ, cujusmodi malis regiones bellis devastatae, ac magnâ incolarum parte privatae, vexari solent, quae vero ab incolis irae tribuebantur Numinis, in terrâ ante culti. Assyrii, his cognitis, consilium inibant quemdam e Sacerdotibus, quos abduxerant, remittendi, nobilem fortasse et principem Virum. Hic Bethele pristinum Jahves Cultum, a Jarobamo ibi olim instauratum, restituisse videtur. Quo Cultu reducto, alia tamen Sacra, in Regno ephraïmitico quondam celebrata, minime abrogabantur. Neque etiam Idola sua missa faciebant Coloni (2). Hi vero suis Sacris adhaerentes, haec primum cum Indigenarum Cultu conjungebant (3), ac temporis decursu huic fortasse magis magisque ita assuefiebant, ut, quum Templum Hierosolymis restitueretur, ab ipsâ cum Judaeis societate non abhorrerent.

Pleniorem, quam Samaritani tradiderunt, et sine dubio veriorem, at eheu! valde tenuem Historiae samaritanae horum temporum notitiam, *Judaeorum* Scripta exhibent. Quod ut ex dictis jam liquet, ita patet etiam, si *alia* judaïca Scripta attendimus. Libros volo, qui ab Ezrâ et Nehemjâ nomen habent, quibuscum Vaticinia conferantur Haggaei, Zacharjae, et Malachiae.

Res gestae in his Libris enarratae quo melius intelligantur, operae pretium est Chronologiam tenere et lacunas, in Libris Ezrae et Nehemjae obvias. Zerubbabel nimirum anno ante C. n. 538 sive 536 (secundum Ezr. I : 1 *primo* regni Cyri anno) redeundi veniâ impetratâ, cum catervâ 42360 hominum in Palâestinam redit. Opus Templi restituendi, ab eo inceptum, lente procedit. Intercipitur regnante Cambyse (529—522), et Smerde (per 8 menses imperium tenente). Absolvitur tandem Darii I, sive *Hystaspis* filii (522—486) anno 6° (Ezr. VI. 15), id est anno 517, s. 516 a. C. Hine ad Ezrae adventum anni praeterlapsi

(1) Eadem fere, sed multis aucta leguntur in Chronico Abu'l-fathi. Vidd. *Acta Lips.* p. 168, et in primis Paulus *Memorabilien* II, p. 55, ubi Schnurrer locum arabice et germanice edidit.
(2) 2 Reg. XVII. 29—31.
(3) Conf. F. C. Movers *Die Phönizier* I, p. 78 seq., et 342. Bertheau l. l. p. 366 seqq.

sunt 50, et quod excurrit, idque temporis intervallum in Judaeorum Annalibus omittitur, quo, praeter reliquam Darii I regni partem, universum continetur regnum Xerxis (486—465), et initium regni Artaxerxis Longimani, qui regnavit ab anno 465—424. *Septimo* hujus regni *anno* (Ezr VII. 7), anno igitur 459 sive 458, Ezra novam secum ducens Coloniam, nobilibus constantem familiis, in Palaestinam profectus est, ubi quamdiu degerit, non liquet. Verisimile est, quod Josephus tradidit (1), eum ibi ante quam Nehemja *ad Legati munere fungendum* advenerat, jam dudum mortuum esse, quia is Judaeam tunc non modo vastatam, sed Rem sacram etiam neglectam videbat. Ea vero quae, post Ezrae mortem, et ante *hunc* Nehemjae adventum in Judaeâ gesta sint, non memorantur. Nehemja autem in Palaestinam venisse dicitur (Neh. II. 1 seqq.) anno 20 regni Artaxerxis Longimani, id est anno 446 s. 445. Ibi mansit per 12 annos (Neh. V. 14), ad annum nempe 434 s. 433. Deinde *post aliquot annos*, regnante tamen, ut videtur, *eodem* Rege (Neh. XIII. 6, 7), adeoque ante annum 424 in Judaeam reversus est. Perperam enim Josephus (2) contendit, Nehemjam *Xerxe regnante* (486—465) in Palaestinâ versatum esse. Neque etiam *primus* Nehemjae in eam Terram adventus in id tempus cadere potest. Primus eo tetenderit *Ezrae aetate*, quem, eam Terram petentem, fortasse comitatus est. Ezrâ enim Hiërosolymis festum agente, Nehemja verba ad populum fecisse fertur (Ezr. VIII. 10), quem a *Persarum Legato* non diversum fuisse, ét Libri Auctor suspicatus est, addens, eum esse הַתִּרְשָׁתָא, ét alii loci confirmant. Attendamus modo rationem, quâ idem Judaeos, ex Judaeâ in Persiam advenientes, excepit, eosque de Palaestinâ narrantes audivit, ut in hujus Terrae conditionem inquireret, ac gravem, quâ, auditis Judaeorum calamitatibus, afficiebatur, tristitiam (Neh. I. 2 seqq.); notitiam porro Hiërosolymorum, quam habet, singula loca statim post adventum visitans (Neh. II. 13 seqq.). — Brevi post dictum festum in Aulam persicam rediisse videtur. Quo posito, Nehemja Palaestinam ter adiit.

Quaenam iis temporibus Samaritanorum fuerit conditio, ex iis Fontibus judaïcis, collatis Persarum Annalibus, jam investigemus. Samaritanis et Judaeis, sub Persarum potestatem redactis, idem praeërat Satrapa, qui omnium terrarum cis Euphratem imperium primum tenebat. Huic Praefecti *minores* subjecti erant, in quibus *totius* Palaestinae Gubernator, cui Samaritani pariter atque Judaei parebant, isque *Samaritanus* plerumque fuisse videtur. Ut Judaei (3), sic Samaritani etiam, sine dubio Persis *tributa* pendebant, et *in Persarum castris*, quod de Judaeis ex Catalogo exercitûs Xerxis, a Choerilo exhibito (4), notissimum est, *militabant*.

(1) *Antt.* XI. 5. 5. (2) *Antt.* XI. 5. 6—8.
(3) Ezr. IV. 13, 20; Neh. V. 5, coll. Ezr. VI. 8. VII. 24, et Neh. IX. 36 seq.
(4) Joseph. contr. Apion. I. 22.

De *Satrapâ cis Euphratem* (פחת עבר נהרה) mentio fit Ezr. V. 3, cuius Satrapiam deinde in plures partes minores divisam fuisse, efficeres ex Ezr. VIII. 36, et Neh. II. 7 et 9, ubi de *Satrapis cis fluvium* (פחות עבר הנהר) fit sermo. Regnante Dario Hystaspis Satrapa memoratur *Tatni* (תַּתְּנַי), quocum (Ezr. V. 3, 6; coll. VI. 6, et 13) uno tenore alii recensentur, *primariis* certe *Muneribus* fungentes, Collegii, fortasse, sive *Diwānis* Socii, quos Satrapa in rebus gerendis consuleret: *Schetar Bōzna* nempe, *et Socii ipsorum persici* (שְׁתַר בּוֹזְנַי (1) וּכְנָוָתְהוֹן אֲפָרְסְכָיֵא). Per breve Smerdis imperium, secündum Ezr. IV. 7, rebus praeërant *Bischlam*, *Mithridates* (qui etiam occurrit Ezr. I. 8), *Tabeël*, et *reliqui ipsorum Sodales* (בִּשְׁלָם מִתְרְדָת טָבְאֵל וּשְׁאָר כְּנָוָתוֹ). Quae nomina propterea observatu digna sunt, si, quod nominum formae indicant, duo priores *Persae*, tertius vero *Syrus*, sive *Samaritanus* fuerit, et hic in illo Collegio admissus, summo Regis, *subjectis populis benigni* (2), favore usus sit. Eodem tempore *Praefectus Palaestinae* videtur fuisse aequalis Zerubbabelis, *Rehūm* (רְחוּם), *Praefectus regius* (בְּעֵל טְעֵם) dictus, et *Samariae* habitans (3), ac Scribam habens *Schimscham* (שִׁמְשַׁי). Uterque fortasse etiam Samaritanus erat, quod de *Sanballato* (סַנְבַלַּט) item, postea *Palaestinae Praefecto*, non dubium est. Hic, *Horonita*, id est e *Bēth-Horōn* oriundus, *Samariae* etiam sedem habebat, et Ministris utebatur *Tobiâ Ammonitâ*, et *Geschemo Arabe* (4), quorum ille pariter, atque ipsius filius *Johanan* uxores duxerat judaicas, et summi Judaeorum Sacerdotis *cognatus* dicitur (5).

*Rehūmum*, et *Sanballatum* Palaestinae *universae*, adeoque *Judaeae* item praepositos fuisse, ex *auctoritate, quâcum agebant*, et ex *iis, quae fecerunt*, apparet. Ille Epistolam ad Regem scribit, Judaeos Hiërosolyma munientes aegre ferens, acceptoque responso, eosdem vi impedit, et coercet (6). Hic, Nehemjae adventum non curans, suâ auctoritate agere pergit (7), quin bellum in eum parat (8), a quo tum demum sibi abstinendum esse censet, ne Regem sibi iratum redderet, quum intrepidum et constantem Nehemjae animum cognovisset, et favorem, quo is apud Regem fruebatur (9).

---

(1) Pers. ستار بازناى, id est *stella splendida.*

(2) Vid. Heeren, *Handb.* p. 106 seq.

(3) Ezr. IV. 8, 9, 17, 23.

(4) Neh. II. 10, 19. VI. 1, et III. 33 [IV. 1].

(5) Neh. VI. 18, et XIII. 4, 5.

(6) Ezr. IV. 8 seqq., 23 et 24.

(7) Neh. II. 10, 19. III. 33 [IV. 1].

(8) Neh. IV. 1 [IV. 7] seqq.

(9) De Praefectorum Palaestinensium *vexationibus*, incolis *Judaeae* illatis, etiam sermo est Neh. V. 15. Praefecti Munus tunc gerebat Sanballat, quem obiter perstringere videtur Malachia (I. 8). Sanballati injuriarum tamdiu Judaei immunes fuerint, quamdiu Nehemja magnâ sane, attamen non satis definitâ potestate instructus, in Palaestinâ commoratus sit.

Judaei enim, ut postea variorum Principum gratiam studiose, nec sine felici eventu, haud raro ambierunt, ita eo tempore in Aulâ persicâ hac in re multum operae sine dubio posuerunt, quum intellexissent, studuisse Samaritanos, ut ipsorum causam vario modo perderent. Et quae artes in Aulâ subinde struantur, Judaei in Libro ESTHERAE vividis coloribus tamquam in tabulâ depinxerunt. His autem Judaeorum machinationibus tribuendum est, ut Persarum Reges nobilibus ejus Gentis Viris insignia beneficia interdum largirentur, conspicua quam maxime in honore et dignitate, Zerubbabeli, Ezrae, et Nehemjae concessis. Auctoritas tamen ipsorum Judaeae terminis circumscribebatur. Zerubbabel nimirum et Nehemja, si *Judaeae Praefecti* titulo ornentur, hoc ita intelligatur, ut Palaestinae tamen Procuratori, quod ex ante dictis liquet, subditi fuerint, tum etiam Syriae Satrapae, cujus item titulum Judaei iis Viris tribuere non dubitabant. Zerubbabel videlicet vocatur פַּחַת יְהוּדָה (1), et eo nomine Nehemja etiam insignitur, qui per 12 annos, ab anno inde Artaxerxis Longimani 20° ad 32um, id est ab anno ante C. n. 445—433 dicitur fuisse פֶּחָה בְּאֶרֶץ יְהוּדָה (2), sive הַפֶּחָה (3). A Persis *ille* nuncupatus esse videtur *Scheschbazzar* (שֵׁשְׁבַּצַּר (4)), quod nomen explicari solet *Cultor ignis* (جسباناذر). Uterque titulo ornatur הַתִּרְשָׁתָא, id est *severus* (5). Ezra tantum dicitur *Sacerdos*, et *Legisperitus* (הַכֹּהֵן הַסֹּפֵר); ei tamen potestas erat *Magistratûs* et *Judices* (שֹׁפְטִין וְדַיָּנִין) creandi. Magna porro eâ aetate inter Judaeos auctoritas erat *summi Pontificis*, cui Persae Rei ipsorum *sacrae curam*, certo mandarunt. Sic uno tenore cum Zerubbabele, Josua vulgo commemoratur. Ac *populi Seniores* etiam, pristinae potestatis memores, hac uti, datâ opportunitate, non omiserunt (6).

Consideratâ *politicâ* Palaestinae sub Persis *conditione*, quasdam item Samaritanorum res, eo tempore gestas, attendamus, ac mutuam, quae iis cum Judaeis intercesserit, necessitudinem. Judaei haec etiam Libris laudatis descripserunt.

Primis, ut ex iis Scriptis videmus, post Judaeorum ex captivitate reditum temporibus, ista a Samaritanis aversio, postea omnibus fere Judaeis communis, plerosque nondum invaserat. Misera videlicet conditio, quae tunc Judaeorum erat, ut homines vulgo paratos reddit ad aliorum commercium quaerendum, et eorum in primis, qui sortem infelicem

(1) Hagg. I. 1, et II. 2 et 21. Hoc nomine Zerubbabel etiam insignitur Ezr. VI. 7.

(2) Neh. V. 14, coll. II. 6. (3) Neh. XII. 26.

(4) Id liquet ex Ezr. I. 8 et V. 14, 16, ubi de *Scheschbazzare* eadem, quae de *Zerubbabele* Ezr. III. 8 et 10 narrantur.

(5) *Zerubbabel* Ezr. II. 63, et Neh. VII. 65, 70. *Nehemja* Neh. VIII. 9 [10], et X. 2.

(6) Ezr. VI. 7, 8, et Neh. V. 7 seqq. *Duodecim* fortasse *Seniorum* erat Senatus; vid. BERTHEAU l. l. p. 393 seq.

emendare possint, ita Judaeos quoque adegit, ut societatem cum Samaritanis non missam facerent. Hanc autem Judaei eo minus evitabant, quia ipsi commercio cum Exteris assuefacti erant, ac magis etiam ei commercio in dies se accommodabant, quum multa ipsorum millia inter Gentes perpetuo versabantur, adeo ut ii, qui in Palaestinam redierant, Exteros non modo in Judaeâ, sed ut Tyrios, *mediis Hiërosolymis* vivere sinerent (1). Et vero cum Samaritanis, ac cum iis praesertim, qui in locis Judaeae conterminis habitabant, et si voluissent, commercium prohibere non potuissent. Neque hoc, Historiâ teste, studuerunt. In urbem *Bēthel* v. c., ubi Sacerdos ex Assyriâ remissus degerat, in urbem ergo, ante Judaeorum ex exsilio reditum, incolis frequentatam, et in alia oppida vicina, multi Judaei, ex captivitate redeuntes (2), inter quos et Israëlitae fuerint (3), se convertebant, ibique etiam *Binjaminitae* una cum priscis incolis deinde vivebant (4).

Judaeis, multis in locis cum Samaritanis aliisque Exteris eâdem civitate sic conjunctis, arctior in dies cum ipsis necessitudo intercessit, unde crebra illorum cum his orta sunt matrimonia, copulata non tantum inter homines *inferioris* conditionis, sed *Principum Sacerdotumque* exemplo sancita (5). Haec autem commercia et conjugia, quibus praeterea accesserit voluntaria nonnullorum Judaeorum in Samaritidem migratio, — *Sacerdotum* v. c., qui quoniam genus suum legitime probare non poterant, a Sacerdotio removebantur (6), — causae etiam fuisse videntur, cur Samaritani haud pauci ad Judaeorum Sacra recipienda propensiores redderentur. Multi eorum ad Ezrae certe aetatem, ac postea, festa Hiërosolymis celebrabant (7), Templique item intererant inaugurationi, adeo ut eorum adventus ansam dederit Sacrificio 12 hircorum, tunc immolatorum, *pro 12 tribuum numero* (8), qui a nonnullis perperam *Ritus* tantum habetur *solennis*. Nec modo Hiërosolyma et Templum ii Samaritani ut locum sacrum suspiciebant, sed Sacerdotum etiam, et Prophetarum auctoritatem ad quaestiones Rem sacram spectantes solvendas agnoscebant, cujus rei exemplum notatu dignum Zach. VIII. occurrit. Anno nempe 4° regni Darii Hystaspis, 518 ante C. n., Legati ex urbe Bēthel Hiërosolyma missi esse dicuntur, rogantes, num *ipsos* festum, in memoriam Templi devastati institutum, quotannis celebrare oporteret. Ut *locus*, unde ii profecti sunt, qui est Bēthel, quam urbem, ut vidimus, Judaei pariter atque Samaritani tenebant, attendi meretur, ita etiam ipsi *Legati*, et *Zacharjae effata*, tunc pronunciata. Nomina nimirum (שַׂרְאֶצֶר, Persicum سر آذر, sive *Princeps ignis*, et רֶגֶם מֶלֶךְ, id est *Amicus* [رجم] *Regis*) formas referunt, quas inter Samaritanos, potius quam

(1) Neh. XIII. 16. (2) Ezr. II. 25—28, coll. Neh. VII. 29 seq. (3) Ezr. II. 59 seqq. (4) Neh. XI. 31 seqq. (5) Ezr. IX et X. Neh. VI. 17, 18; XIII. 23 seqq., coll. Mal. II. 10—16. (6) Ezr. II. 61—63, Neh. VII. 63—65. (7) Ezr. VI. 21, coll. Neh. X. 28. (8) Ezr. VI. 17.

inter Judaeos usitatas esse conjiceres, adeo ut *Samaritani* fuisse, et *Samaritanorum* maxime nomine locuti esse videantur. Nam, licet fatendum sit, Judaeos etiam, in his v. c. Zerubbabelem, peregrina subinde nomina habuisse, haec potius *cognomina* existimentur, iis tributa a Regibus, quorum auctoritate splendidum Munus gererent, sive in quorum Aulâ versarentur; quem morem viguisse ex Dan. I. 7. efficere possumus. *Samaritanorum* nomine potissimum verba fecisse illos Legatos, praeterea verisimile est ex *dictis* Zach. VIII. 20 seqq., quae eodem etiam tempore enunciata, cum praecedentibus, et cap. VII arcte cohaerent. Ibi Propheta, Bethelensium adventum fortasse respiciens orationi finem imposuit, promittens fore, ut *Gentes*, *ac multarum urbium incolae adveniant*, *utque alii alios compellant*, *dicentes: »eamus, ut Dei gratiam nobis conciliemus!"* *et »ad quaerendum Deum Exercituum ipse etiam abeam!"* cet.

Dum ergo Samaritanorum haud pauci hocce cum Judaeis commercio, et interioris familiaritatis vinculo, ac Sacrorum communione cum iisdem consociati erant, inter ipsos etiam Judaeae incolas fuerunt, qui arctiorem suae Gentis cum illis conjunctionem expetebant, quin ii etiam, quibus optatum fuit, ut iidem ad Sacra judaïca libere admitterentur. Sic sentiebant omnes sine dubio, qui invito Nehemjâ, Sanballato obsequium praestiterunt (1); neque ab his votis alieni erant *Prophetae*, Zacharja v. c., ut ex l. l. apparet, et praeter eum certo item alii, Gentes, si Israëlitarum mores et Sacra assumerent, in Populi sui societatem lubenter admittentes (2). Praeter *Prophetas* alii etiam Viri, summâ auctoritate et dignitate florentes, Samaritanorum causam inter Judaeos alacriter vindicabant. In his Sacerdotes, qui peregrinas duxerant uxores, omniumque Sacerdotum Princeps, *Eljaschibus*, qui Tobiae Ammonitae, ipsius *consanguineo*, sacrum Templi conclave habitandum concedebat (3), et cujus filius *Jojada* cuidam ex filiis suis permittebat, ut cum Sanballati filiâ matrimonium iniret (4).

Alii tamen Judaei aliter prorsus statuebant. Permulti inter eos, qui in Palaestinam redierant, *Sacerdotes* erant et *Levitae*. Quia Rebus ii sacris olim intenti fuerant, et ex iis victum habuerant, eorum potissimum sors in Babyloniâ miserrima fuerat, iisque ergo reditus in Patriam, ac Sacra restaurata quam gratissima erant. Horum igitur plerique cum pristinâ lautâ conditione, *pristinam* etiam *auctoritatem* recuperare studebant. Omnes, qui hanc infringerent, illamve imminuerent, odio habentes, et alias Gentes Judaeis multo

---

(1) Neh. VI. 10—14.

(2) Sic nempe statuebat is, qui loquitur Zach. XIV. 16, et Jes. XVI. 1—8. Porro Ezechiel (Conf. cap. XIV. 16. XIV. 7. XLVII. 22, 23), alii. De mitioribus erga Peregrinos sensibus, qui Israëlitis, Jahven colentibus, *ante abitum in captivitatem*, proprii erant, cf. LENGERKE, *Kenáan* I, p. 490 seqq.

(3) Neh. XIII. 4, 5. (4) Neh. XIII. 28.

inferiores opinantes, Peregrinorum imperium ipsi aegre ferebant, ac samaritanis Persarum Magistratibus continuo se opponebant. Nefandum iis videbatur cum immundis istis omne consortium, ac Civitatem securam, et semet ipsos favoris divini certos esse credebant, si modo Ritus sacri, ac Legis Praecepta diligentissime observarentur. Sic *plerique* judicaverint Ministri sacri, praecipui partium Samaritanis inimicarum Patroni. His partibus multi sine dubio adhaeserunt Viri probi, Patriam, Gentem, Religionem avitam vere amantes. His vero displicuerit furor fanaticus, quo nonnulli in alios saeviebant, iique certo mores Sacerdotum corruptos improbarunt, quos Malachia, Nehemjae fere aequalis, acriter perstrinxit, avaritam notans, quâ isti Cultum Dei, ac suum ipsi Munus in contemtum adduxerant (1).

In hoc rerum statu quid Samaritanorum Primores fecerint, facile quisque assequitur. His, penes quos sub Persis totius Palaestinae principatus quidam fuerit, omnis conatus suspectus erat, quo aliquam ipsius partem Judaei vindicare sibi studerent. Itaque Judaeis, Templi renovandi veniam nactis, hanc fortunam non invidebant, si illud modo una cum ipsis aedificarent, ac deinde commune haberent. Quod quum Judaei, pleno ejus dominio se privari aegre ferentes, recusassent, illi quovis modo impedire conabantur, quominus Aedes sacra absolveretur (2). Iis autem Samaritanorum conaminibus ipsa tempora, et locorum opportunitas mirifice favebant. Omne fere lignum, quo in Templo aedificando Judaei uterentur, per Samaritidem transvehendum erat. Quod cohibere, difficiliusve reddere, quàm facile erat Samaritanis! Praeterea hi in suos usus converterunt sine dubio Judaeorum animi lassitudinem, quam mora diuturna creaverat. Multi nempe Judaei jam satis habebant, si locum sacrum qualemcunque, in quo Cultus fieri posset, sibi parassent. Alii probe perspicientes, novum Templum antiquo multo fore inferius, de Templo etiam quod Sacris tamen *aptum* esset, exstruendo prorsus desperabant (3). Magnates, tempus huic rei idoneum nondum adesse simulantes, suis ipsi commodis consulere, atque ornatas domûs aedificare sibi malebant (4). Ac revera ad opus bene perficiendum opes requirebantur immensae, majores pro magnâ, quâ tunc Judaea premebatur, paupertate (5). Quae rerum angustia ita augebatur funestâ pluviae inopiâ (6), ut agri per longum tempus inculti jacerent, aut messis esset exigua (7), quam hostes insuper saepe perdebant.

Samaritani, his aliisque locorum temporumque opportunitatibus astute callideque utentes, prohibere tamen non potuerunt, quominus Templum post 21 annos absolveretur. Quo tandem condito, Hiërosolyma, aemulorum sedes, deinceps dilatata magis, et ornata,

---

(1) Mal. I. 6. seqq. II. 8, 9. III. 3, 4. (2) Ezr. IV. 1 seqq.
(3) Hagg. II. 4. (4) Hagg. I. 2—4. (5) Hagg. I. 6.
(6) Hagg. I. 10, 11. (7) Hagg. II. 17.

majorem in dies Samaritanis invidiam excitarunt. Sic intelligitur, quam jucundus his postea fuerit ante Nehemjae adventum, ruderum adspectus; neque miramur indefessum ipsorum studium, quo cavere conabantur, ne urbs restitueretur, praesertim vero ne haec moenibus cingeretur.

In tali rerum judaicarum conditione Samaritanis facillimum erat mediis etiam Hiërosolymis partium sibi propitiarum vim corroborare. Judaei enim, quibus Hiërarchiae austeritas displiceret, ii porro, qui a Ministris sacris abhorrerent, Sacra negligentibus, ac vili haec avaritiâ odiosa reddentibus, alii denique, quos rigida nonnullorum severitas, et Magnatum vexationes exacerbassent (1), quorumnam ii patrocinium, societatem, clientelam peterent potius, quam Samaritanorum? Horum auctoritatem Judaei adversarii suâ ipsi agendi ratione inviti confirmabant. Ezra, ecce! precibus primum populo suadere conatur, ut quisque peregrinas uxores dimittat; ac felici successu, quo eo usque gaudebat, elatus, solennem populi conventum indicit, *intra triduum mediâ saeviente hiëme* Hiërosolymis habendum, quin absentibus *Exsilii* poenam minatur. — Habetur conventus, sed gravi imbre interrumpitur. Res igitur Duumviris, eodem, quo Ezra ferebatur, furore agitatis, gerenda committitur. Duobus sociis adjuti, hi terram peragrant, peregrinarum mulierum catalogum conscribunt, et intra 3 mensium spatium redeunt (2).

Res ita praecipitanter peracta, quo pauciores Judaeis fructus tulerit, eo magis Samaritanis profuit. Catalogus eorum, qui exteras uxores dimiserint (3), ubi *Sacerdotes*, et *Principes* soli fortasse recensentur, summam Ezrae probet auctoritatem; simul vero exinde manifestum est, morem exteras uxores ducendi tunc valde invaluisse. Omnes contra si in catalogo nominentur, qui Ezrae voluntati obsecuti sint, horum profecto numerus haud ita magnus fuit, si *multa* reputamus Judaeorum *millia*. Complures eorum, qui Ezrae obedire nolebant, et Exsilio puniebantur, ad Samaritanos certo transierunt, iique Jahves Cultui ibi propagando egregie prodesse potuerunt. Atque alia item incrementa ex hisce cepit samaritana Respublica. Migrantes enim commercium cum cognatis in Judaeâ relictis, non omnes profecto missum fecerunt: quod Samaritanis non acceptum esse non poterat, ut utriusque Gentis necessitudinem arctiorem redderent, odiumque acuerent Hiërarchiae.

Horum Judaeorum transfugarum auxilio quomodo Samaritani usi sint, ut impedirent, quominus illi Hiërosolymorum moenia post Nehemjae adventum restituerent, memoriae proditum est. Sanballat Judaeos primum a proposito deterrebat, istud opus *rebellionem* vocitans (4); eosdem ut ab aedificando avocaret, convitiis et dicteriis mox lacessebat (5); persequentibus opus deinde vim inferre, et *per Judaeos inter Samaritanos degentes*

---

(1) Neh. V, et Mal. III. 5.
(2) Ezr. X. 5 seqq.
(3) Ezr. X. 18 seqq.
(4) Neh. II. 19.
(5) Neh. III. 33 seqq., sive IV. 1 seqq.

insidias struere cogitat (1). Tandem vero Nehemjam occidere studet. Quinquies eum ad colloquium secum habendum astute invitat; quo dolo irrito facto, nobiles Judaeos corrumpit, quin Prophetas et Prophetissam ad eum perdendum sibi conciliat (2). At frustra! Nehemja, consiliis nefariis perspectis, omnes difficultates fortiter superat, ac moenia absolvit.

Amissam auctoritatem Samaritani brevi tempore post Nehemjae abitum sine dubio recuperarunt. Quod quo melius ipsis cederet, summum Judaeorum Sacerdotem, cujus aemulatio magnâ, quâ Nehemja instructus fuerat, auctoritate excitata erat, fortasse sibi benignum reddere studuerunt. Non irritum fuisse hunc conatum, ex iis conjicere licet, quae, ut verbo jam diximus, de *Eljaschibo* narrantur (3). Ipsius liberalitas erga hominem peregrinum, reliquos etiam Sacerdotes, et magnam populi partem ad similia agenda impulit; hoc vero effecisse videtur, ut Res sacra minori cum religione administraretur (4), ac praecepta Legis a nonnullis prorsus negligerentur. Nam Nehemja, deinde in urbem redux, non modo in matrimonia cum Exteris graviter invectus est (5), sed in eos item, qui Decimas Ministris sacris tradere recusaverant (6), ac Sabbathum violare ausi fuerant (7). Nehemjâ ergo auctore, partes Hiërarchiae tunc rursus superiores evaserunt.

Hae partium contentiones, et quae postea secuta sunt dissidia, quomodo odium Samaritanos inter et Judaeos excitaverint, excitatumque in dies magis aluerint, omnes norunt. Ejus rei indicia ubique in Scriptis utriusque Gentis exstant, ex quibus nonnulla hîc afferre lubet.

Ezra IV. 1 Samaritani dicuntur צָרֵי יְהוּדָה וּבִנְיָמִין; Neh. VI. 1 אֹיְבִים. Jesus Sirach (8) ne *populi* quidem nomine eos dignos censet. Vocantur ab eo praeterea *ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις*; eodemque fere modo postea in Testamento XII Patriarcharum: *ἔσται γὰρ ἀπὸ σήμερον Σικὴμ λεγομένη πόλις ἀσυνέτων*. De loco Sirachidis multis exposuit Hengstenbergius (9), recte vindicans lectionem *οἱ καθημένοι ἐν ὄρει Σαμαρείας*, lectione *οἱ κ. ἐν ο. Σηεἱρ* repudiatâ. Locum tamen non bene explicuit, et perperam judicavit de rationibus, quae Scriptorem moverint, ut *incolas montis Samariae* memoraret. Sic scribens: *ἐν δυσὶν ἔθνεσι προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος. Οἱ καθημένοι ἐν ὄρει Σαμαρείας, καὶ Φυλιστιεὶμ, καὶ ὁ λαὸς ὁ μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις*, — primo loco auctor nuncupat incolas *urbis* Samariae, quippe quae jam ipsius aetate [anno

(1) Neh. IV. 1 seqq., sive IV. 7 seqq.
(2) Neh. VI. 1—9 seqq.
(3) Neh. XIII. 4—6.
(4) Mal. I. 6 seqq. III. 6.
(5) Neh. XIII. 23 seqq., coll. Mal. II. 11 seqq.
(6) Neh. XIII. 10 seqq., coll. Mal. III. 8 seqq.
(7) Neh. XIII. 15 seqq.
(8) Sir. L. 25 seq.
(9) *Die Authentie des Pent.* I Bd., p. 14 seqq.

circiter 180 ante C. n. (1)], multis Graecis frequentata, et eorum Cultu sacro contaminata erat. *Philistaeos* deinde memorat, non modo quia in mentem sibi revocabat hostilem ejus Gentis in veteres Hebraeos animum, sed ob Sacra praecipue, quae in Philistaeae urbibus tunc florebant. *Sichemitae* autem dicuntur, coll. Deut. XXXII. 21, לֹא עָם, et גּוֹי נָבָל, quia hi tunc praesertim ob Templum garizimitanum; a Johanne Hyrcano, anno circiter 130 ante C. n. demum devastatum, Judaeorum invidiam excitabant. *Urbem* autem Samariae intelligi, non vero *Terram* Samaritanorum universam, apparet tum ex dictione *ἐν ὄρει*, tum in primis ex alius urbis in Samaritide, ex *Sichemi* nempe, mentione.

Minime vero mutua utriusque Gentis simultas posterioribus temporibus imminuta est. Secundum N. T., ubi Samaritani *Judaeos apud se recipere noluisse dicuntur* (2), Judaei item *omne cum iis commercium evitabant* (3), *aquam* ipsam *ab iis haustam ex ipsorum vasis bibere verebantur* (4), ac *scelestissimis quibusque* illos *aequiparabant* (5).

Ex odio isto omnes orti sunt Judaeorum clamores de *Idolis*, quae Samaritani adorassent, et cujusmodi, ut in Talmude perhibetur, R. Ismael, per Samaritidem Hiërosolyma iter faciens, in Monte Garizimi deprehendisset (6); rumores porro de *columbae* in eodem Monte *Cultu*, ac ridiculum *Proselytorum leonum* nomen, quo, ut diximus, Abrabaniel Samaritanos insignivit. Huc etiam pertinet *Anathema* istud famosum, quod Ezra cum Zerubbabele et Josuâ, summo Pontifice, in eosdem pronunciasse dicitur (7). Id autem, quamvis recentioris aevi ingenium referat, eâ tamen, si fides habeatur R. Tanchumo (8), aetate fictum est, quâ Judaeorum in Babyloniâ Coetus florebant. *Et describebant*, sic ille ex Ligtfooti versione, »*exsecrationem hanc, et mittebant toti Israëli, apud Babel existenti.*" Quae si vera sint, ex iis simul conjicere licet, *Samaritanos eodem tempore ibi etiam degisse.* Alioquin enim cur Judaeis *babyloniis* traditum fuisset mandatum, quo omne cum Samaritanis commercium proscribitur, nisi sic tantum cavere voluerint, ne Judaei babylonii, *in Palaestinam tendentes*, cum illis convenirent? — Aliud denique odii istius Judaeorum in Samaritanos specimen fabulae exhibent Moslimorum de Mûsâ, quas *a Judaeis* ii mutuati sunt. In his *Vituli aurei* (Exod. XXXII) artifex, idem, ut ibi traditur, Israëlita qui ab Aegyptio quodam injuriâ ante affectus erat (Exod. II. 11 seq.), — vocatur Sâmirî (السامرى), isque hanc ob causam ex Israëlitarum castris expulsus esse, atque deinde exsul, ferae instar, perpetuo oberrare dicitur, ab alterâ Orbis terrarum parte ad

(1) Vid. de Wette *Einl. ins A. T.* 5a ed. p. 433 seq.
(2) Luc. IX. 53 seq.
(3) Mt. X. 5.
(4) Joh. IV. 9.
(5) Joh. VIII. 48. Luc. X. 30 seqq., et XVII. 16—18.
(6) Basnage l. l. I, p. 254.
(7) Locus hebraïce traditur a Cellario in *Collect.* p. 31 seq.
(8) Dicta ejus commemoravit Ligtfoot *Opp.* I., p. 462 seqq.

alteram, dum quisque eum fugit, et viam, per quam transierit, mundam reddit; ipse vero (et sic Judaei istam Samaritanorum dictionem, quâ *immundos* ipsi a se avertere student; vid. supra p. 41), ne quem suâ *immunditie* contaminet, clamat, لا مسّاس (1).

Ab alterâ parte permulta maligni Samaritanorum in Judaeos animi testimonia, illorum Scripta etiam exhibent. Inspicite modo Epistolas, et Josuae Librum! Duo ejusmodi effata hîc citasse sufficiat. Alterum ex Praefatione (in Cod. paris n. 4), arabicae Pentateuchi Versioni praemissâ, ubi, dum se ipsi vocant *Populum Dei* (أمّة الله) Saadiae imprecantur: قابله الله, id est: *quem Deus debitis tormentis excruciet* (2). Alterum in notâ quâdam exstat, eidem Codici adscriptâ (3). *Deus*, ibi ajunt, *flammis* (aeternis) *addicat animum Samaritani*, *qui ad Judaeos defecerit*, sic arabice enuntiatum: الله يحرق روح السامرى الذى هاد. Alius idem odium spirans locus legitur in Commentario in Gen. XLIX (4), cique alii haud pauci addi possent, quos tamen brevitatis causâ nunc potius transeamus, hoc modo observantes, verisimile esse, istud apud Judaeos odium acerbius fuisse quam apud Samaritanos, inter quos complures sine dubio fuerint, qui de Judaeis benignius sentirent. Ex locis nonnullis N. T. (5) id jam efficeres, tum etiam ex Samaritanorum Judaeos imitandi studio.

---

Nondum absolvimus, quae de Nehemjae aetate dicenda sunt. Vidimus jam, eo in Palaestinam adveniente anno regni Artaxerxis Longimani 20°, qui est annus 446 s. 445 a. C. n., sacrae Urbis muros et portas incendio deleta esse. *Foris* rudera accumulata viam ipsi intercludebant, *intus* Urbs universa devastata, et a perpaucis habitata, iique maximam partem fame exhausti, in summam miseriam conjecti, et a Magnatibus in turpem servitutem redacti erant (6). — Quae, quaeritur, harum aerumnarum turbarumque causa fuit? Non bellum, ut videtur, *civile* Samaritanos inter et Judaeos gestum, sed *externum*, quo Palaestina vehementissime afflicta erat. At quodnam? — Bella fortasse alicui hîc in mentem veniunt, a Dario I anno 490, sive a Xerxe anno 480 cum Graecis gesta: et verissimum sane est, Palaestinam tum ob ea, quae ad haec bella gerenda in ipsius

---

(1) Vid. G. Weil *Bibl. Legenden der Muselm.* p. 146, 169, et 172.

(2) De Sacy in Eichh. *Allgem. Bibl.* III, p. 7, 8, et in *Mém. de l'Acad. des Inscr.* T. XLIX, p. 53 seq.; coll. *Orient.* II, p. 131 seq.

(3) *Mém.* l. l, p. 15.

(4) Vid. Schnurrer in Eichh. *Repert.* T. XVI, p. 168, et de Sacy *Mém.* l. l. p. 40 seq.

(5) Cogitemus modo *Mulierem samaritanam*, Joh. IV, *Samaritanum leprâ sanatum, ac Jesu gratias agentem*, Luc. XVII, 12, 18, *Samaritanum misericordem* in parabolâ, Luc. X. 30—37.

(6) Neh. I. 3. II. 3, 13, 17. III. 34 [IV. 2]; coll. II. 14. V. 1 seqq. VII. 4 seqq.

portibus parata sunt, tum maxime ob Exterorum eo confluentium agmina, molestiis gravissimis obnoxiam fuisse (1). Bella tamen hic potissimum in censum veniunt, a Persis *in Aegyptum* suscepta, quae Palaestinae et Judaeae praesertim calamitosissima fuere. Nec adeo bellum volo a Cambyse anno 529, sive a Xerxe anno 484, sed bellum maxime sub Artaxerxe Longimano ab anno 463—456 actum, quod ergo incidit in tempus, per quod Ezra in Palaestinâ commoratus est, in quam is venit anno 7° Artaxerxis Longimani, qui annus est 459, sive 458. Aegyptiis, seditionem moventibus, Inaro, Libyae Rege, et Amyrtaeo auctoribus, Athenienses missâ classe auxiliati sunt. Memphidem Foederati ceperunt, Persarumque exercitu, cui praeërat Achaemenes, frater Regis persici, clade affecto, *in Syriam* penetrarunt. Hos vero Megabyzus, Syriae Satrapa, anno 456 in Bybli urbe obsedit, Inarumque, quum Amyrtaeus in regionibus paludosis se tueretur, subegit (2).

Hoc bello saeviente, Ezra morti succubuisse, et Hiërosolyma devastata esse videtur. Ezra enim profecto non permisisset, ut Magnates populum vexarent, sive, quod Nehemja adeo doluit, ut mores adeo corrumperentur, et Res sacra magna detrimenta caperet. Deinde si post Urbis vastationem vixisset, ad hanc restituendam Ezra favore usus fuisset Regis persici, quo antea fruebatur, et quo deinde, postquam de Gente judaïcâ *bene* meruerat, Persarumque causae in eo bello fortasse consuluerat, certo non exciderat. Aliquot igitur annos praeterlapsos esse credibile est, Ezrae mortem inter et Nehemjae adventum, per quos Civitas judaïca in eum statum venerit.

Neque ex loco Neh. XII. 36 efficiatur, Ezram adventu Nehemjae fuisse superstitem, et festo, quod hic post moenia absoluta egit, interfuisse, agmenque duxisse. Verba enim וְעֶזְרָא הַסּוֹפֵר לִפְנֵיהֶם, sine dubio glossa sunt sive Librarii cujusdam, perperam nomen *Ezrae* attendentis, colo 26° commemoratum (3), sive ipsius Libri Scriptoris, fontibus suis non bene utentis.

Praeter publicas calamitates, quas diximus, in Palaestinam, *Persis subjectam*, ingruentes, altera etiam a JOSEPHO narratur (4), de quâ, quamvis temporibus, quae nondum attigimus, facta sit, hic tamen disseramus, quo melius in Samaritanorum Historiâ enarrandâ mox pergere possimus. Judâ Eljaschibi filio mortuo, Pontificatum sibi vindicat Johannes, Judae filius, ac fratrem Jesum, cui Bagoses, Dux exercitus persici, illud Munus se daturum esse pollicitus erat, occidit: quam ob causam Persarum Dux Judaeos aggreditur, Templum intrat, atque Judaeis grave tributum imponit. Haec JOSEPHUS: quibus

---

(1) Vid. BERTHEAU l. l., p. 397.
(2) HEEREN *Handb.*, p. 118.
(3) Vid. etiam BERTHOLDT *hist. krit. Einl.* II, p. 1032.
(4) *Antt.* XI. 7.

alii addunt, Coloniam Judaeorum partim in Hyrcaniam ad oras Maris caspii, partim in Babyloniam traductam esse (1). — Bagoses a JOSEPHO dicitur *στρατηγὸς τοῦ ἄλλου Ἀρταξέρξου*. Sic legendum esse suadet, tum auctoritas RUFFINI, vertentis *alterius Artaxerxis*, tum JOSEPHO consueta dicendi ratio, res ipsi haud perspectas, in medio relinquenti. Ac parum sine dubio perspectam habuit veterum Persarum historiam. Cujus quam obscurae et turbatae JOSEPHI notitiae fuerint, ex erroribus v.c. liquet, in quos incidit, opinans, Cyrum, Darii Nothi filium, *filium* esse *Xerxis* (2), et Nehemjam anno regni *Xerxis 25°* Hiërosolyma venisse, atque ejus Urbis moenia absoluta esse anni ejusdem *28ⁱ* mense nono (3), dum haec gesta sunt regnante Artaxerxe Longimano, et *Xerxes*, ab anno 486 ad 465 imperium tenens, *per 21 annos modo regnavit*. Altera lectio *τοῦ λάου Ἀρταξέρξου* (*exercitus Artaxerxis*), sine dubio falsa est, inepta quippe per se, et pleonasmum referens, quem JOSEPHUS mox scribens *ὁ στρατηγὸς Ἀρταξέρξου*, in *tali* dictione certo non amabat. Tertia lectio, quam RICHTERUS in textum recepit, *τοῦ Ὤχου Ἀρταξέρξου*, in nullo Codice exstat, sed conjectura est J. J. SCALIGERI (4), quae tamen, ingeniosa licet, omni quippe Codicum commendatione carens, et quia ejus Artaxerxis nomen graece scribi solet *Ὦχος*, probari nequit.

Quamvis igitur JOSEPHUS *Ochum* non commemoraverit, et Regem, quo regnante illa, quae l. l. narravit, non cognoverit, sub Ocho tamen haec facta esse videntur. Tunc enim Phoenices et Cyprii, cum Aegyptiis juncti, seditionem moverunt. Eorum socii fuerint Judaei, Johanne Pontifice, qui hoc Munus in se susceperit posterioribus annis regni Artaxerxis Mnemonis. Expeditio, a Persis in Foederatos suscepta, bene cessit. Anno 356 Phoenices, captâ Sidone, et anno 354 Aegyptii, devicto Nectanebo II, a Persis subacti sunt. Huic expeditioni intererat fortasse et praeërat Bagoas, qui cum Mentore, Ocho

---

(1) SYNCELLUS *utriusque* Coloniae ab *Ocho* abductae mentionem fecit (*Chronogr.* ed. Bonn. I, p. 486). Alii, EUSEBIUS (in *Chron.* ed. Auch. II, p. 221), SOLINUS (*Polyh.* c. 35), OROSIUS (*Hist.* III. 7) *Hiërichuntis* expugnationem memorantes, de Coloniâ in *Hyrcaniam* abductâ tantum locuti sunt. *Ocho* regnantè haec facta esse verisimile est. Alio tempore haec accidisse opinatur H. EWALDUS (*Poëtische Bücher* II. ed. 2ae, p. 355). At non necesse est, ut diversae sumantur expeditiones ob nominum *Bagosis* (ut JOSEPHUS), et *Bagoae* (ut Scriptores laudati scribunt) discrimen, quia JOSEPHUS nomina propria saepius corrumpit. EWALDI denique sententia, putantis, historiam a JOSEPHO narratam, in regnum *Artaxerxis II*, sive *Mnemonis* incidere, graviori, quam nostra sententia, premitur difficultate, quae *ex Judaeorum Pontificum successione* oritur. EWALDO etiam assentitur BERTHEAU l. l. p. 399. Expeditionem tamen Bagosis quam ibi existimat *sub Artaxerxe Mnemone* factam esse, p. 405 distinguit a seditione, *sub Ocho* ortâ quâ sedatâ, opinatur, Coloniam Judaeorum in Hyrcaniam ad Mare caspium, et Babylonem abductam esse

(2) *Antt.* XI. 6, 1.

(3) *Antt.* XI. 5, 7 et 8.

(4) *Emend. temp.* p. 389.

*nomine* imperante, Regnum persicum *revera* administrabat (1). Is ergo idem fuerit, qui a JOSEPHO *Βαγώσης* nuncupatur.

Haec opinio, fateor, vix in concordiam redigi potest cum Chronologiâ, quam *Judaei* in Pontificum successione sequuntur (2). Verum non integer certo est iste eorum Catalogus. Summa enim annorum, qui a Judaeorum ex Babyloniâ reditu ad Alexandri m. in Palaestinam adventum, id est ab anno 536 ad 332, praeterlapsi sunt, est 204 annorum. Haec vero non impletur annis *omnium* Pontificum, qui ad Alexandrum enumerantur, ne addito quidem, si fieri posset, *integro Jaddūae Pontificatu*, quem is, qui Alexandro obviam profectus est, tunc adhuc gerebat. Pontificum autem annorum summa secundum Chronicon paschale, sive alexandrinum, est 190. Si igitur singulorum anni bene indicati sint, sive lacuna sumenda est, sive tempus cogitetur, per quod nullus Pontifex Judaeis praefuerit. *Illud*, collato Neh. XII. 10, 11, et 22, ubi *plures* non recensentur non verisimile est (3). *Hoc* sane probabile. Tempus fortasse 24 circiter annorum ponendum est, quibus Pontificatus, sive semel, sive saepius vacaret, v. c. post mortem Jojadae, sive Judae. Johannes nimirum annô fere 374, regnante Artaxerxe Mnemone (404—362) Pontifex factus sit. Si hic Aegyptiorum Sociorumque partibus addictus fuerit, non mirum est, Bagoam Jesu (יֵשׁוּעַ), Johannis fratri, quo eum sibi conciliaret, Munus sacrum promisisse. Ex JOSEPHI narratione saltem apparet, Johannem eo tempore, quo Bagoas ista machinaretur, Pontificatum aliquamdiu jam gessisse. Exinde vero, quod ille successionis jus violare ausus fuerit, colligeres *ejusdem rei* exempla *iis* etiam temporibus non inaudita fuisse.

---

(1) HEEREN *Handbuch*, p. 124 seq.

(2) Successionem, quam EUSEBIUS in *Chronico* commemoravit, diversam a successione, quae in *Chronico paschali*, sive *alexandrino* (cf. ed. Bonn. I, p. 356 seq., et p. 390) reperitur, inter se contulit SELDENUS (*de Successione in Pontificatum Ebraeorum*, Lond. 1636 fol., p. 152). Chronicon paschale cum notitiis Codicis hebraei, et JOSEPHI dictis vulgo convenit. Hoc Chronicon PRIDEAUX (*Het Oude en Nieuwe Verbond aaneengeschakeld* II, p. 240 seq.) plerumque secutus est.

(3) Lacunam supplere conatus est DR. ZUNZ (*Die gottesdienstlichen Vorträge der Juden* Berl. 1832, p. 27). Collatis nempe locis Neh. XII. 10 et 11 (ubi recensentur *Josua*, *Jojaqim*, *Eljaschīb*, *Jojada*, *Jonathan*, et *Jaddūa*), et Neh. XII. 22 (ubi *Eljaschīb*, *Jojada*, *Jochanan* et *Jaddūa* memorantur), statuit Jojadam inter et Jaddūam *duos* vixisse Pontifices, *Jonathanem* et *Jochananem*. Sed tunc potius Jochanan ponendus esset *post Eljaschībum*, quia mox colo 23 *Jochananis* fit mentio, *filii Eljaschībi*. Haec tamen sententia non probatur dictis *Josephi*, ut infra videbimus, cujus, si Annalibus usus sit Pontificalibus, magna *in his* est auctoritas. Si autem verum est, quod ZUNZ (p. 29) conjecit, Opus Auctoris *Chronicorum*, s. דִּבְרֵי הַיָּמִים, quod ab eodem Scriptore continuatum est in Libris, qui ab *Ezrâ* et *Nehemjâ* nomen habent, — *Nehemjae Libro non absolutum fuisse* et ipsum Auctorem anno circiter 260 a. C. n. vixisse (p. 32 seq.), dolemus hanc ejus Operis partem interiisse, quia, ne alia dicam, et haec de Pontificibus quaestio, et vero historia Templi garizimitani conditi, exinde sine dubio illustrari potuissent.

---

De rebus Samaritanorum domesticis a Nehemjae abitu ad Alexandrum, vix aliquid praeterea innotuit, quod *certo* constet. Idque eo vehementius dolendum est, quo majoris ea, quae tunc acciderint, fuerint efficaciae ad eam Gentis conditionem, in quâ aetate circiter Alexandri versabantur, parandam, et quae, illis cognitis, clariori luce item suffunderetur. Ut dicta jam docent, tempus illud, si bella cogitamus, eo tempore gesta, Judaeis pariter atque Samaritanis, sine dubio calamitosissimum fuit. Nec minus funestae fuerint utrique Genti iteratae contentiones, et discordiae. Turbas enim civiles in Judaeâ saepius exortas esse, ex dictis satis est probabile. Hae tamen Samaritanis maxime gravissimae erant, et sane frugiferae. Iis grassantibus permulti Judaei, Judaeâ relictâ, tunc item ad Samaritanos transiisse videntur. Testatur JOSEPHUS; hos Sanballati promissis incitatos, vel ultro cum Manasse in Samaritidem migrasse, et agros a Sanballato iis assignatos esse (1), atque *Σίκιμα* frequentata esse *ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους* (2).

Continuata haec Judaeorum migratio ejus rei causa fuit, quâ sequens Historiae periodus nobilissima evasit. Templum cogito in Monte Garizimi conditum. Quod quando factum sit, accurate definire, profecto difficillimum, at h. l. deditâ operâ indagare, operae pretium est.

Exinde praecipua oritur difficultas, quod Veterum de rebus eo tempore gestis testimonia vix in concordiam redigi possint. Nam a JOSEPHO (3), quocum fecerunt EUSEBIUS (4), SYNCELLUS (5), JOSEPHUS GORIONIDES (6), alii, dissentit prorsus locus Neh. XIII. 28: וּמִבְּנֵי יוֹיָדָע בֶּן־אֶלְיָשִׁיב הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל חָתָן לְסַנְבַלַּט הַחֹרֹנִי וָאַבְרִיחֵהוּ מֵעָלָי, id est: *et ex filiis Jojadae, filii Eljaschibi, Sacerdotis summi*, aliquis erat *gener Sanballati, Horonitae; eum vero a me propuli.*

---

(1) *Antt.* XI. 8. 2.  (2) *Antt.* XI. 8. 6, quibuscum conferantur mox dicta. §. 8.

(3) *Antt.* XI. 7. 2, et 8. 2, coll. XIII. 3. 4, et 9. 1.

(4) EUSEBIUS in *Chronico* perhibet anno 2° Olympiadis CXI, qui annus est 333 ante Chr., Templum Samaritanorum esse conditum.

(5) SYNC. *Chronogr.* ed. Bonn. I, p. 487.

(6) JOSEPH. GORION, (qui anno circiter 940 in Italia scripsit) libr. II, c. 8, coll. IV, c. 4. (p. 88—90, coll. p. 264 seq.) res mirifice confundit. Praeterea FLAVIO JOSEPHO in *tempore Templi illius conditi definiendo* assentiuntur, qui *aliorum* etiam Judaeorum auctoritatem sequuntur, Auctor Libri *Jūchasīn*, qui scripsit anno 1502 (cf. ed. Constantinop. p. 22 seq.), et R. GANZ in צמח דוד, in loco, quem CELLARIUS in *Exercit.* p. 25 descripsit, quocum conferri potest p. 21, ubi idem locus Libri Jūchasīn etiam exstat. Cum JOSEPHO GORIONIDE, maximam partem consentit AL-MAQRIZII narratio de Templo samaritano condito, quae exstat in DE SACY *Chr. Ar.* p. ۱۱۱ et seq. Arabicâ enim istius JOSEPHI Operis versione AL-MAQRIZIUS usus est, ex quâ Versione Aethiopica Versio fluxit (Vid. *Zeitschr. f. d. Kunde des Morgenl.*, 5 Bd. 1 h. p. 200 seq.

Opinati sunt nonnulli, ea quae ibi traduntur, a rebus, quas Josephus narravit, non *diversa* esse, *eamdemque* igitur utroque loco historiam respici (1). Graviter alios contra offendit differentia, quae utrique narrationi intercedit. In Codice nimirum hebraeo *Nehemja ipse*, se illud fecisse testatur; et *Exsul*, cujus nomen reticetur, *filius Jojadae*, sive *Eljaschibi nepos* vocatur. Josepho auctore res accidit *sub Dario Codomanno*, regnante ab anno inde 336; nam Sanballat Samariae praepositus esse dicitur *ὑπὸ Δαρείου τοῦ τελευταίου βασιλέως*. Si igitur Nehemja, tertiâ vice in Palaestinam tendens, Hiërosolyma adierit sub finem regni Artaxerxis Longimani, mortui anno 424, dissensus de tempore rei gestae est 90 annorum. *Filiae* porro *Sanballati* nomen (*Nicaso* dicitur) non modo Josephus tradit, sed etiam *Exsulis*. Hic *Manasse* vocatur, et *frater Jaddûae* [aequalis Alexandri], ac *Johannis filius*. Rem ergo Josephus paulo aliter, et multo plenius quam Codex hebraeus, enarravit (2). Qui dissensus, si alia non obstent, exinde illustrari possit, quod fonte Josephus usus sit, diverso ab hebraeo Codice, quem ipse, quia *eum* locum non intellexerit, fortasse non curavit. Videamus primum ex quo fonte Josephus ea hauserit.

Verisimile est, Josephum consuluisse *Annales Pontificum*, in quibus, quum Pontificum res gestae tradebantur, ea quae ab eo narrantur, et historia *conditi Templi samaritani* silentio omitti vix potuerunt. Ejusmodi Annales quin olim exstiterint, dubium non est. Quod ut efficitur ex 1 Macc. XVI. 24, ubi res gestae Johannis Hyrcani conscriptae esse dicuntur *ἐπὶ βιβλίῳ ἡμερῶν ἀρχιερωσύνης αὐτοῦ, ἀφ' οὗ ἐγενήθη ἀρχιερεὺς μετὰ τὸν πατέρα αὐτοῦ*; ita etiam patet ex hoc loco Josephi (3): *οἱ ἀρχιερεῖς οἱ παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρὸς εἰσὶν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς*. Ad hos Pontificum Annales Josepho, ex sacerdotali genere oriundo (4), aliquando aditus certo patuit; atque eum ante quam *Archaeologiam* conscriberet, ipsos in suos usus convertisse, ex dictis ipsius de Pontificum successione apparet (5), ubi ab Aharone inde de multis, ut passim alibi, adeo *definite* loquitur. Non nego objici posse, Josephum ejusmodi quidem Annalibus usum esse, sed non *in omnibus* fidem ipsis esse habendam. Fasti nimirum sacerdotales, Antiochi Epiphanis aetate antiquiores (sic nonnulli fortasse argumentantur), in magnâ eo Rege Hiërosolymorum calamitate *periisse videntur*, ac novi postea ficti, ad quos componendos Judaei usi sint tum notitiis V. T., tum traditione, praesertim ubi de temporibus ageretur, quae V. T. notitiis erant recentiora. — Fraudem in istis Libris supponendis haud raro commissam esse, lubenter etiam concedo, idque ét aliae Gentes probant, ét vere etiam Sa-

---

(1) Sic nuper Bertheau l. l. p. 401, existimans Josephum duos Pontifices confudisse.

(2) De fontibus, quibus praeter V. T. Josephus usus est, et de nonnullis rebus gestis, ab eo ex iis fontibus accuratius, quam in V. T. descriptis, vid. C. Lengerke *Kenáan* I, p. LXXI seqq.

(3) *Contra Apion.* I. 7. (4) *Contra Apion.* I. 10. (5) *Antt.* XX. 13.

maritani, qui ejusmodi Annales, quamvis ipsi in Libro Josuae fatentur, Hadriani aetate eos periisse, postea nihilominus ferunt, ab Aharone item incipientes, ac definitum numerum annorum, per quos singuli Pontifices Munere sacro functi sint, exhibentes. At hunc Samaritanorum Catalogum (de *parte* loquor, quae de *antiquioribus temporibus* egit), et Pontificum successionem, a Judaeis traditam, quis aequiparet? Et quis certo affirmet Pontificum judaïcorum Annales *revera periisse?* Hinc, ut alii Libri, qui ad nos pervenerunt, caute abscondi, sive, si Exemplum ipsorum, in Templo depositum, deletum sit, aliane exempla inde descripta ex communi calamitate salva evadere potuerunt? Sed si vel conceditur, quod vix concedi potest, unum modo priscorum eorum Fastorum Exemplum exstitisse, et hoc Antiochi Epiphanis aetate perditum esse, aliquot tamen in Libris V. T. notitias de *antiquioribus* Pontificibus servatas esse, videmus. Quae quoniam manifesto ostendunt, quam studiose *veteres* Judaei res ejusmodi memoriae mandarent, quare de ipsorum *posteris* aliter judicaremus? Ab his igitur, si prisci Annales interierint, *brevi* postea iidem sine dubio scripto iterum consignati sunt. Quâ in re subsidio esse potuerint ii, qui priscos Annales, sive integros, sive summatim memoriâ tenerent. Quidquid statuatur, ex loco laud. 1 Macc. XVI. 24 novimus, Annales eos exstitisse *sub Johanne Hyrcano*, cujus Biographiae si ad annum, quo is Templum garizimitanum destruxit, ea addita fuerint, quae de historiâ ejus Templi *conditi* JOSEPHUS narravit, et quae vivo Johanne Hyrcano haud facile in oblivionem abire potuerunt, non video, quo jure JOSEPHI, *ea* narrantis, fides in dubium vocetur.

Cum dictis de Pontificum successione apud JOSEPHUM (1) fere convenit enumeratio Neh. XII. 10, 11, ubi *hoc* ordine ii recensentur: 1) יֵשׁוּעַ, 2) יוֹיָקִים, 3) אֶלְיָשִׁיב, 4) יוֹיָדָע, 5) יוֹנָתָן, 6) יַדּוּעַ. Ab hoc tamen loco, Neh. XII. 22 differt, ubi inter *Jojadam* et *Jaddūam*, memoratur יוֹחָנָן. *Hoc* nomen JOSEPHUS etiam habet, et pro יוֹיָדָע legit יְהוּדָה, cujus lectionis indicium etiam exstat fortasse in Versione alexandrinâ Neh. XII. 22, ubi pro יוֹיָדָע legitur Ἰωά, pro quo restituendum esse videtur Ἰουδά. Lectio tamen יוֹיָדָע, quod nomen Neh. XIII. 28 recurrit, et facile in יְהוּדָה corrumpi potuit, bene sese habet. Verum יוֹחָנָן praeferendum videtur lectioni יוֹנָתָן. Libri etiam Nehemjae auctoritate illud confirmatur, ubi XII. 23 *Jojadae* nomine fortasse omisso, יוֹחָנָן *Eljaschībi* filius nuncupatur.

Quum igitur ex locis Neh. XII. 10, 11, 22, Catalogum exhibentibus Pontificum *ad Alexandri aetatem viventium*, manifestum est, animadversiones ei Libro inesse *Nehemjae aetate multo recentiores*, a nonnullis, in his a BERTHOLDTO (2), iis etiam an-

---

(1) *Antt.* XI. 7. 2, et 8. 2.

(2) *Hist. krit. Einl.* II, p. 1033 seqq.

numeratus est locus Neh. XIII. 28. Primum opinabatur, vix credibile esse, *idem fore accidisse Nehemjae et Darii Codomanni aetate, filium nempe Pontificis filiam Sanballati in-matrimonium duxisse, eamque ob causam in exsilium missum esse. Locus* deinde, quem ea in eo Libro tenent, statuere ipsi suadet colon 28um ab aliâ manu esse additum. Nam non de *uno* Viro, qui *ibi* commemoratur, sed de *pluribus* in voce לָהֶם mentio fit colo proximo, quod si refertur ad cola 22—27, ubi de *Levitis* fit sermo, nulla, omisso colo 28°, supersit difficultas. Haec Bertholdtus. Quae si quis divinando exornare velit, pro וָאַבְרִיחֵהוּ מֵעָלָי is conjicere possit, reponendum esse וַיַּבְרִיחֵהוּ מֵעָלָיו *et propellebat eum a se.* Si vero textum ita emendare nolis, alia item conjectura praesto est, *Jaddūae* nempe *manu* hanc notam adjectam esse, ex cujus *aetate* Catalogus Pontificum Neh, XII. 11, 12, 22, quia is *non ultra Jaddūam procurrit*, certo oriundus est. Ut porro cum Josephi dictis ea magis conveniant, contendi posset notam initio *pleniorem*, postea vero *in compendium redactam* esse; adeo ut plenior recensio fuerit: וּמִבְּנֵי יוֹחָנָן בֶּן־יוֹיָדָע בֶּן־אֶלְיָשִׁיב מְנַשֶּׁה אֲחִי הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל חָתָן וגו"; id est: *et ex filiis Johanani filii Jojadae filii Eljaschībi, Manasse, frater Sacerdotis, gener factus est* cet. Si denique colon 29, quia hoc differt a formulâ *Nehemjae* tritissimâ: זָכְרָה־לִּי אֱלֹהַי לְטוֹבָה וגו", id est *mei benigne memor sis, o Deus mi* (1)! — si, inquam, hoc colon *Jaddūae* tribuis, לָהֶם referri potest ad *Manassen* et *Sanballatum*, itemque fortasse ad *Eljaschībum*, ad quem, quoniam hic insignis Samaritanorum fautor erat (2), genealogia Manassis deditâ operâ continuata sit.

Hae conjecturae, locum Neh. XIII. 28 expendenti mihi, in mentem venerunt. Quo attentius tamen has considerabam, eo magis tum hae ipsae, tum Bertholdti sententia mihi displicebant. Nemo non videt, quot mutanda sint, ut locus ille cum Josephi dictis concilietur. Nullum praeterea de textûs recepti integritate dubium est. Eljaschībi deinde, cujus mentio h. l. profecto attendi meretur, et qui Samaritanis adeo benevolus erat, ut Viri eorum principis, Tobiae, cognatus esset, Templique conclave ei concederet, — quidni miremur nepotem quoque filiam duxisse samaritani Palaestinae Praefecti? Si qui sint, quibus molesta sit Neh. XIII. 28 *Jojadae* mentio, quippe quod exinde effici possit, ea *Jojadâ Pontifice* conscripta esse, iidemque, si fortasse opinentur Nehemjam, collato Neh. XIII. 6 et 7, *solo Pontifice Eljaschībo* Hiërosolymis degisse, hi reputent, fieri posse, ut vivo Eljaschībo, Jojadae filius hocce matrimonium inierit, tum etiam, ut Jojada brevi post *ultimum* Nehemjae adventum Patri successerit. Si nimirum Judaei tempus, per quod *4 priores* Pontifices suo Munere functi sint, recte definiverint, et Josuae annos *a reditu ex Baby-*

(1) Neh. V. 19, XIII. 14, 22, 31.

(2) Neh. XIII. 4 seqq.

*loniâ* numeraverint, hic, ut ferunt Judaei, per 32 annos Rebus sacris praefuit, ab anno 536–504, Jojaqîmus per 30, ad annum 474, Eljaschîbus per 40, ad 434, ac Jojada per 36, ad 398, ab anno ergo 31° Artaxerxis Longimani ad 4um Artaxerxis Mnemonis, Munus sacerdotale gessit. Haec igitur definitio ab iis, quae in Libro Nehemjae leguntur, ubi hic in Palaestinam rediisse dicitur anno Artaxerxis Longimani 32° (1), parum differt; praesertim si Jojada *brevi post Nehemjae-adventum* Pontifex creatus est, cujus rei causa fuerit Eljaschîbi sive *mors*, sive *abdicatio voluntaria*, quâ Nehemjae, cui displicuerit, voluntati obsequeretur (2).

Itaque, loco Neh. XIII. 28 vindicato, nec cum Josephi dictis conciliato, potius statuam, Jojadae filii expulsionem, aliorumque Judaeorum et Sacerdotum ac Levitarum migrationem, Judaeorum Sacra inter Samaritanos magis propagasse, atque ansam dedisse, ut Cultus eorum in Monte Garîzîmi mox constitueretur. Qui si in Aede quâdam minori ante Darium Codomannum celebratus fuerit, melius sane intelligitur desiderium Templi *splendidi* eo tempore condendi. Quod si verum est, Josephus etiam nullum anachronismum commisit, tradens (3), Samaritanos Alexandrum Hiërosolymis degentem invitasse, ut ipsorum etiam ἱερὸν adiret. *Templum* ii intelligere non poterant, cujus eo tempore fundamenta vix posita fuerint, sed *Aedem illam*, ut videtur, *antiquam*. Veniam nempe Templi aedificandi, quam paulo ante Darius ipsis dederat, ab Alexandro item impetrarunt anno 332, quum is Tyrum obsideret (4); quâ urbe expugnatâ Alexander Gazam, et inde Hiërosolyma tetendit. — Quare, Dario Codomanno regnante, id rogaverint, Josephi narratio illustrat. Ante saepius idem quaesiverint, ac primum fortasse Artaxerxem Longimanum cum eâdem petitione adierint, quem tamen, Nehemjâ illud sine dubio dissuadente, movere non potuerunt. Sequentibus Persarum Regibus annuentibus, Sacellum illud sit conditum, in eoque Cultus *quidam* judaïcus a transfugis Sacerdotibus judaeis celebratus sit. Locus vero ignobilis, et Cultus ipse cum minore ét splendore ét religione observatus, ac brevi forsitan corruptus, desiderium aluerint Aedem ac Rem sacram reformandi, et cuncta ad exemplum Templi hiërosolymitani componendi. Novae turbae in Judaeâ exortae, quibus tunc accedebat animus Regis, Samaritanis benignus, iis votis egregie favebant. *Alterius* Sanballati filia Manassi, Jaddûae fratri, nubit. Seniores Judaeorum indignatione elati Manassen jubent, aut eam dimittere, aut Sacerdotio se abdicare. Neutrum vult. In exsilium missus, cum amicis ad Socerum se confert. Hic a Dario Templi aedificandi veniam petit. Qua datâ, *Aedes nova* conditur, Cultus Ritui judaïco jam totus accommodatur, Pentateuchus Codex sacer publice proclamatur, sollenniterque introducitur, ac Manasse primus Pontifex creatur.

---

(1) Neh. XIII. 6.

(2) Joseph. Gorion. (l. 1. IV. 4. p. 89) tradit, Sanballatum *generum cum Eljaschîbo* Rebus sacris praeficere voluisse. Quid eum Scriptorem moverit, ut *Eljaschîbi* etiam mentionem faceret, ignoro. Ex V. T. *haec* petere non potuit, sed ex aliis Libris judaïcis.

(3) *Antt.* XI. 8. 6.

(4) *Antt.* XI. 8. 4.

Templum igitur samaritanum, a Johanne Hyrcano anno 139 devastatum, per 193 annos fuit superstes. Quae sententia ut, si *ante* dicta tenentur, verisimilis est, ita insuper, non unam ob causam, *nondum* memoratam, se commendat.

Samaritanos non curamus, in Libro Josuae fabulantes, *Josuam* illud Templum *post Palaestinam expugnatam condidisse.* Hoc tantum miramur, nomen *Manassis*, primi eorum Pontificis, ab iis non memoratum esse, nisi statuatur, aliud eum *Pontificem* nomen assumsisse. Quo posito, observatu dignum est quod de Hizqiâ Pontifice, *Alexandri m. aequali*, in Chronico ABU'L-FATḤ*I* traditur (1), ipsum nempe *hymnos sacros composuisse.* Hic igitur, si idem sit atque Manasse, isque Cultum sacrum Ritui judaïco accommodatum constituerit, hujus traditionis origo, collatis JOSEPHI dictis, manifesta est.

Existimarunt haud pauci Templum illud *centum circiter annis ante* conditum esse *sub Dario Notho*, ab anno 423—404 regnante (2). Qui hanc tuentur sententiam, nobis objiciunt, non verisimile esse, *duos* Palaestinae Praefectos fuisse, idem *Sanballati* nomen gerentes. At reputent ii frequentem eorumdem nominum usum tum per omnem Historiam, tum in Oriente maxime, quare multos iste consensus minime moratus est (3). Gravius est argumentum ex *erroribus* petitum, in quos JOSEPHUS, in Historiâ Regum persicorum alibi incidit, et quos etiam commisit, in hac Historiâ cum Dario Notho Darium Codomannum confundens (4). Efficacissimum sane hocce dubium esset, collatis insuper iis, quae p. 83 ipsi observavimus, si JOSEPHUS Templi conditi narrationem cum *solâ* persicae Historiae mentione copulasset. Cum illâ vero alias conjunxit res gestas, *Tyri* et *Gazae expugnationem*, et celeberrimum nomen *Alexandri.* Quodammodo id sensisse videtur PRIDEAUX (5), *alteram* Gazae expugnationem sub Dario Notho temere fingens! Attamen ne vel sic difficultas tollitur, ex *Tyri* obsidione oriunda, *quâ opportunitate* Sanballat ad Alexandrum se conferens, Templi aedificandi veniam impetravit. Cujus rei memoria, quia cum nomine adeo claro copulata erat, *inter Judaeos* haud facile in oblivionem prorsus abire potuisset, etiam si in Pontificum Annalibus ipsa non tradita fuisset. Nam sola causa, cur haec res a *Samaritanis*, aevo saltem recentiore, non servata sit, in *auctoritate* quaeratur, quam fabula de *Templi antiquitate* nacta sit, quae studiose olim, ac facillime certo post Templum eversum inter eos propagata est.

---

(1) Vidd. *Acta Lips.* l. l. p. 169 seq. In eodem Chronico (conf. fragmentum editum a SCHNURRERO in *N. Repert.* I, p. 120) inter Hizqîae aequales tantum memoratur *Manasse* quidam, Legatus missus ad Ptolemaeum Lagi; is vero non vocatur *Pontifex*, sed منشه الريس, *Manaššе*, *Vir princeps.*

(2) Sic statuerunt PRIDEAUX (l. l. I, p. 626 seqq., coll. 465 seqq.), JAHN (*Bibl. Archäologie.* II Bd. 1, p. 278), VAN DER PALM (*Bijbel voor de Jeugd*, Tom. XVII, p. 15), alii.

(3) Vid. CELLARII *Exercit.*, p 21 seq.

(4) *Antt.* XI. 7. 2.

(5) l. l. I p. 631.

Quia autem cum Templo condito arcte cohaerere videtur publica Pentateuchi hebraei introductio, ad probandam sententiam, Templum illud Alexandri aetate conditum esse, evidens argumentum duci possit ex *universâ Codicis hebraeo-samaritani ratione*. Is enim si *eo circiter tempore* cum plenâ Cultûs judaïci instauratione inter Samaritanos receptus sit, ejus tum *discrimen a Codice hebraeo Judaeorum*, tum *neccssitudo*, quae illi cum *Pentateucho alexandrino* intercedit, multo melius explicantur, quam si illum Codicem seculo fere ante introductum esse, statuitur.

De *antiquâ* Codicis samaritani conditione judicare quidem possumus tantum ex Codicibus non adeo vetustis, sed ex his illa satis accurate cognoscitur. Magnam enim fuisse Samaritanorum in textu aliquando recepto servando religionem, loci docent, a Patribus ecclesiasticis laudati, qui, paucis exceptis, temporum decursu Librariorum oscitantiâ corruptis, cum Codicibus hodieque superstitibus verbotenus fere conveniunt (1).

His dubium jam enervatur eorum, qui contendunt, haud ita magnum fuisse istud Samaritanorum textûs incorrupti servandi studium. Qui nempe contrarium statuunt, in hanc opinionem maxime ducti sunt, collatis locis nonnullis, *de industriâ* a Samaritanis corruptis. Quorum gravissimi sine dubio sunt 1) Deut. XXVII. 4, ubi voci עֵיבָל Samaritani substituerunt גְּרִיזִים, 2) Exod. XX. 17 et Deut. V. 21, qui ambo aucti sunt ex Deut. XI. 29 et 30, et XXVII. 2—8 (2). Hos autem aliosque locos a Samaritanis deditâ operâ mutatos et auctos esse, quis hodie neget? Et quid Samaritanorum rebus convenientius, quid his constituendis magis necessarium? Montis garizimitani sanctitatem praedicantes, Samaritani jus sibi arrogabant, quod callide sic demum tueri poterant. — Ex iis autem locis ita, ut ipsorum causam defenderent, reformatis, nihil colligi potest, quod fidem eorum in textu *aliquando recepto* integre servando in dubium vocet. Nihil etiam ex aliis locis levioribus, Pentateucho samaritano propriis ac privis, qui Gentis *dicendi consuetudini*, *ac temporum cogitandi rationi* accommodati sunt (3). Nam *tempus* agitur, quo *textus ita correctus sit*. In eo autem definiendo non haeremus. Locos enim nonnullos si excipis, qui *temporis decursu Librariorum* culpâ corrupti sint, *graviores* supra indicatae, ac leviores istae *correctiones*, non modo *antiquissimam aetatem* referunt, verum etiam *eodem tempore*, quo Codex inter eum Populum pervulgatus sit, *eam* formam *omnes* accepisse videntur. Samaritanis videlicet confestim opus erat validis argumentis, quibus causam suam tuerentur. Deinde ne quis eorum postea de Codicis corruptione quereretur, prudentia sane suadebat, ut ea prius mutarent, quam Codicem suis traderent. Samaritanos nempe textûs recepti tenacissimos fuisse, clamores ostendunt

(1) Gesen. *de Pent. Sam. origine* cet. p. 18.
(2) Gesen. l. l. p. 61, coll. p. 46 seqq.
(3) Gesen. l. l. p. 26 seqq.

de DOSITHEO *textum adulterante*, quum is fortasse *graecam* Pentateuchi Versionem conscriberet (1).

Correctionum earum *antiquitas* praeterea elucet, ex JOSEPHI dictis de lite quàdam Judaeos inter et Samaritanos in Aegypto *coram Ptolemaeo Philometore* agitatâ (2). Disputabatur de Templi hierosolymitani et garizimitani in Sacris principatu. Quod quum Samaritani aggrederentur, locos ii supra laudatos sine dubio ob oculos habebant. Idque, licet JOSEPHUS, de Samaritanis causam defendentibus ne verbo quidem loquens, omiserit, ita manifestum est, ut non opus sit ipsorum Samaritanorum de eâ lite fabulas afferre, quae, quamvis recentiores et valde exornatae sint, argumenta tradunt, quibus suam ii sententiam probare conabantur (3).

Textus Pentateuchi samaritani tum in locis laudatis, tum in aliis innumeris, a Textu masorethico magis minusve differens, sexcenties, ubi ab hoc dissentit, convenit cum Codice hebraeo, quo usus est Interpres Versionis alexandrinae. *Consentit*, ut GESENII verbis utar (4), *uterque Codex* 1) *in magnâ parte earum lectionum, quae glossam sapiunt textui illatam emendationemve conjecturalem locorum paulo difficiliorum.* 2) *Accuratissime porro consentiunt plerumque in parvis, immo in minimis saepe momentis, sensum omnino non mutantibus, itemque in vocum literarumve transpositione et permutatione arbitrariâ. — Sic praefixum* ו *ducenties in Samaritano additum, et centies circiter detractum invenitur, ita quidem ut LXX, paucis exemplis exceptis, eum presso pede sequantur.*

Ad mirum hunc utriusque Codicis consensum explicandum, nemo certe hodie opinetur *alterum ex altero revisum esse* (5); quod nullo modo fieri posse, ex mutuâ utriusque Gentis, ét in Palaestinâ ét in Aegypto viventis, simultate manifestum est (6). Non melius eam quaestionem solvas, quam si statuis, Pentateuchum inter Samaritanos introductum esse aetate, quae non procul distet a tempore, quo Versio ejusdem alexandrina pararetur. Haec autem Versio, ut satis constat, conscripta est sub Ptolemaeo Philadelpho, ab anno 284—246 regnante, adeoque 50 annis, et quod excurrit, post quam Templum garizimitanum conditum sit. Sic ergo explicatur mirus librorum inter

---

(1) Cf. supra p. 56 not. 1. (2) *Antt.* XIII. 3. 4.

(3) Sic fere ea res acciderit. Seditione Alexandriae Judaeos inter et Samaritanos ortâ, Rex in seditionis auctores inquisivit. Judicii opportunitate *lis* acta sit, quae quem eventum habuerit, certo dici nequit. JOSEPHUS Judaeos *superiores*, ac duos Samaritanos, *Sabbaeum* et *Theodosium* morte damnatos esse contendit. Samaritani (cf. *Libri Josuae* c. XLV) Judaeos *inferiores*, et 36 eorum trucidatos esse, perhibent. Fusius de iis exposuit ABŪ'L-FATḪUS in *Chron.* cujus fragmentum, eam exhibens historiam, edidit SCHNURRER. (*N. Repert.* T. I, p. 124 seqq., coll. *Act. Lips.* p. 169.). (4) GESEN. l. l. p. 10 seq.

(5) Hanc, aliasque opiniones falsas egregie refutavit GESEN. l. l. p. 11 seqq.

(6) Vid. JOSEPH. *Antt.* XII. 1. 1., et XIII. 3. 4; coll. *Libro Josuae* c. XLV, et ABŪ'L-FATḪO l. l.

Gentes inimicas consensus, qui ex communi fonte necessario derivandus est, nimirum ex textûs recensione, inter Judaeos olim usitatâ, ac diversâ a recensione, quae, temporis decursu orta deinde, atque a Judaeis palaestinentibus postea recepta, et quoquoversus propagata est.

Neque hanc sententiam infringit *dissensus*, qui, samaritano et graeco Codice inter se collatis, saepius etiam conspicitur. *Audaciores* omitto *et arbitrarias emendationes*, atque *interpolationes majores*, quae dum in Codice samaritano inveniuntur, graeca Versio cum Textu judaïco facit; neque etiam *lectionis varietatem* volo, *ex literarum permutatione et transpositione* oriundam, quae ex solâ *Codicum varietate* derivetur, et quam miremur potius non multo frequentiorem esse; sed locos intelligo, in quos neque samaritanarum partium studium, neque casus fortuitus ullam vim exseruit, et qui tamen magnopere a se invicem differunt. Eos scilicet primum cogito, ubi in *difficultatibus removendis uterque Codex ita versatur, ut alter hanc, aliam alter conjecturam exhibeat; discrimen* porro, quod Gen. V et XI conspicuum est in utroque Codice, *tum a Textu masorethico, tum a se invicem, in annis Patriarcharum*, qui *ante* et *post* diluvium vixerint, *dispescendis* (1). At tantum abest, ut eorum locorum dissensus dictam sententiam labefactet, ut eam is potius confirmet. Samaritani nempe et Judaei, ita scribentes, eodem studio ferebantur, ei item aetati proprio; studium puto locos difficiliores interpretandi, et textum ad suas opiniones conformandi. Quod quum eo aevo ferveret, idem aevi ingenium uterque Codex refert.

---

Sed redeamus, unde digressi sumus. Samaritani, Sanballato ad Alexandrum, Tyrum obsidione claudentem, se conferente, ultro se ei subjecerunt, eique ét in hac urbe, ét in Gazâ expugnandâ (2) auxiliati sunt. Judaei Persis fidem servasse videntur. Alexander igitur, iis urbibus captis, Hiërosolyma tetendit. Quam urbem si perdere primum voluerit, ab hoc tamen consilio in itinere jam destitit, intimâ persuasione ductus, Judaeorum agendi rationem a quovis, hanc bene perpendente, non probari non posse; tum etiam victus publico obsequio, ipsi summâ cum reverentiâ praestito, ac pompâ magnificâ, quae, si quid aliud, ad iram componendam, et generosum Alexandri animum placandum aptissima fuerint. Res, a JOSEPHO (3) insigni modo exornata, ut sic acciderit, fieri sane

(1) De *hocce* dissensu, atque discrimine *universo* vid. GESEN. l. l. p. 10 seq., coll. p. 48 seqq.

(2) De Phoeniciâ ab Alexandro subjectâ, et de Tyro per 7 menses, atque de Gazâ per 5 menses obsessâ, cf. BERTHEAU l. l. p. 129, et 406 seqq. In primis J. G. DROYSEN *Geschichte Alexanders des Grossen* (Berl. 1833), p. 179—200.

(3) *Antt.* XI. 8. 4, et 5.

potest (1). Cum JOSEPHI narratione maximam partem ea conveniunt, quae de Alexandri in Palaestinam adventu in *Libri Josuae* cap. XLVI feruntur. Haec, ex eâdem traditione, quam JOSEPHUS secutus est, sive ex Judaeorum Scriptis, fortasse ex ipsius JOSEPH Annalibus oriunda, ita tamen comparata sunt, ut quae a JOSEPHO *Judaeis*, in Libro Josuae *Samaritanis* tribuantur. Nonnulla tantum, dicta v. c. *de Daniëlis vaticinio*, Samaritanorum placitis quippe adversa, ibi omittuntur. Neque etiam (quod ibidem narratur) verisimile est, Alexandrum *eo* tempore *Sichemum* petivisse. Gazâ nimirum Hiërosolyma profectus, viâ incessisse videtur, quae Sichemum non duceret. Idque JOSEPHI dicta confirmant, referentis (2), *Sichemitas Regem adiisse haud procul Hiërosolymis.* Hac autem urbe relictâ, Alexander in Aegyptum confestim perrexit, non obsequens votis Samaritanorum, qui, teste JOSEPHO, ab eo petivissent, ut tributi Anno sabbathico immunitatem ipsis pariter atque Judaeis largiretur. Quibus Rex respondisset, se jam in Aegyptum pergere, et post reditum de iis acturum esse (3).

De *beneficiis* tamen, *ab Alexandro in Samaritanos collatis*, in eo Chronico etiam sermo fit. Privilegia certo intelliguntur eadem, quae JOSEPHUS (4) Judaeis concessa esse testatur, ut nempe *suis ipsi legibus ritibusque libere uterentur ubique,* et *quoque Anno sabbathico omnis tributi immunes essent. Samaritanis* haec etiam permissa esse, idem non perhibet. Samaritanorum, ut vidimus, *petitionem*, de quâ Rex post reditum mandaturus esset, tantum memorat. — Quae si vera sint, credibile est, eos eorum privilegiorum *postea* participes redditos esse. Alexandrum scilicet ii in Tyri Gazaeque expugnatione juverant; et hic quanti ipsos faceret, ostendit, quia copias Sanballati in Aegyptum secum duxit, ac Thebaïdem suo nomine tuendam iisdem commisit! Ea autem privilegia Samaritanis non *confestim* concessa esse, non miramur. Haec nimirum ii *demum* petiverunt, quum cognoverant Judaeis ipsa permissa esse, ideoque post quam Rex Judaeos de Samaritanis dicentes audiverat; quorum verba ipsum moverint, etiam si Judaeorum gratiam non affectare voluerit, ut responsum, in aliud tempus differret. Sa-

---

(1) Vid. VAN DER PALM *Bijbel voor de Jeugd* T. XVII, p. 27 seq. (2) *Antt.* XI. 8. 6.

(3) Fieri potest, ut Alexander, ex Aegypto Tyrum redux, ubi terrarum subjectarum administrationem moderabatur (DROYSEN l. l. p. 217 seq.), res Samaritanorum quoque attenderit. Ad Samaritanos eum venisse, graeci Scriptores disertis verbis non significant. Quod si fecerit, id accidisse statuendum est *durante* obsidione Tyri vel Gazae. Tyrum v. c. obsidens, expeditionem suscepit in Libanum, quem tractum respexerit CURTIUS (IV. 3. 1, et 7), de *Arabia* loquens (vid. DROYSEN p. 187 seq.). Ex Aegypto enim Tyrum revertens, Alexander hac in urbe videtur *mansisse*, et hinc *per vallem Esdrelonensem*, nullâ morâ interpositâ, Thapsacum tetendisse (DROYSEN p. 218). In eâ valle castra metantem, sive Tyri degentem, Samaritani Regem adire potuerunt.

(4) *Antt.* XI. 8. 5, coll. *contr. Apion.* II. 4.

maritanos iisdem, quibus Judaei fruerentur, privilegiis *Alexandriae* postea usos esse, estimonia de iisdem ibi degentibus p. 39 allata, dubitare non sinunt.

Nec *caedes Andromachi* causa fuit, quare haec beneficia iis sive non permissa, sive ademta sint. Andromachus nempe anno a. C. n. 332 Palaestinae praepositus, Sanballato brevi post Alexandri abitum mortuo (1), sive successit, sive in eius locum suffectus erat. Hic a Samaritanis, *graecum* Praefectum certo aegre ferentibus, Samariae fortasse, ubi habitaverit, necatus esse dicitur, postquam Rebus ipsorum sacris forsitan imprudentius sese immiscuerat. Alexander, cognito facinore, in sceleris auctores inquisivit, et Asclepiodorum, Syriae ante Praefectum, anno 331 Palaestinae etiam praeposuit (2), qui de *sceleris auctoribus*, non vero *de universâ Gente* supplicia sumeret. Si *hoc* fecisset, in traditione judaicâ id sane servatum, et a JOSEPHO traditum fuisset. Quid Andromacho evenerit, CURTIUS (IV. 8. 10) enarrans, quae Alexandro, in Aegypto et terris vicinis versanti acciderint, his verbis significavit: *oneravit*, inquit *hunc dolorem* (quem calamitas Hectoris, filii Parmenionis in Alexandri animo excitaverat) *nuntius mortis Andromachi, quem praefecerat Syriae: vivum Samaritae cremaverant. Ad cujus interitum vindicandum, quantâ maximâ celeritate potuit, contendit, advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Memnona substituit, affectis supplicio, qui praetorem interemerant.* Quae quin revera sic acciderint, vix in dubium vocare licet, praesertim si CURTIUS haec, ut alia multa ex Scriptoribus de rebus Alexandri hausit. In eo tamen videtur errasse, quod *Memnonem*, non vero *Asclepiodorum*, Andromacho substitutum esse perhibet. Memnon enim ante quidem Syriae praepositus erat, sed quia Provinciam is non bene administraverat, Asclepiodorus in ejus locum ab Alexandro ex Aegypto Tyrum reduce suffectus, et *Palaestinae* item gubernatione eo tempore donatus est (3). Praeterea expungenda esse videntur verba: *vivum Samaritae cremaverant.* Glossam haec sapiunt, iisque omissis, sententiarum nexus haud interrumpitur. Ac facinus praeterea Veteres ignorant. Andromachum *interfectum* esse, quod CURTIUS etiam ipse spectat, ubi dicit: *ad cujus interitum vindicandum*, et deinde, *qui praetorem interemerant*, tam EUSEBIUS contendit, quam, qui ipso fonte usus est, GEORGIUS CEDRENUS (4): *ὃν*, hic inquit (id est *'Ανδρόμαχον*), *ὕστερον Σαμαρεῖται ἀποκτείναντες δίκας ἔτισαν.*

A Samaritanis aliquid patratum esse, quod Alexandri iram provocaverit, efficeres insuper ex traditione, in cap. XLVI exeunte Libri Josuae servatâ, quae, ejus rei memoriâ

(1) JOSEPH. *Antt.* XI. 8, 4.

(2) BERTHEAU l. l. p. 408.

(3) Vid. DROYSEN l. l. p 217. Dissensus componitur, si statuere licet, Memnonem *per breve tempus* Andromacho substitutum, mox vero, quia Provinciam male administrabat, motum fuisse.

(4) *Hist. Comp.* T. I. p. 151 (ed. Bonn. 1838 p. 265).

temporis decursu obliteratâ, in dies magis exornata, et rebus alienis commixta sit. Narrant illi ibidem, Alexandrum mandasse, ut Regis statuae ponerentur, quas adorare quemque oporteret; ipsum vero a Samaritanis, hoc facere recusantibus, vindictam sumere voluisse; sed iisdem respondentibus, *simulacra* se Regi posuisse *articulate loquentia, seque moventia*, Regem placatum esse. Filios scilicet recens natos *Alexandri* nomine nuncupaverant!

Nulla fides iis habenda est, quae PRIDEAUX (1) cum aliis statuit: »Alexandrum, ex »Aegypto reducem, Samariam expugnasse, magnoque Samaritanorum numero trucidato, »reliquos ex urbe expulisse, ac Macedonum Coloniae ipsam dedisse; Samaritanorum ter»ram porro cum terrâ Judaeorum conjunxisse; veniam vero concessisse Samaritanis, »e clade superstitibus, *Sichemi* habitandi, quae urbs ab eo inde tempore ejus Gentis »Metropolis fuerit." Auctores ille sequitur JOSEPHUM, sive potius HECATAEUM ABDERITAM, et EUSEBIUM. HECATAEI verba haec sunt (2): *διὰ*, inquit, de Alexandro loquens, *τὴν ἐπιεικείαν καὶ πίστιν, ἣν αὐτῷ παρέσχον Ἰουδαῖοι, τὴν Σαμαρεῖτιν χώραν προσέθηκεν ἔχειν αὐτοῖς ἀφορολόγητον.* EUSEBIUS: *Τύρον*, inquit (3), *ἐπολιόρκησεν. Ἰουδαίαν προσελάβετο* [*καὶ τὸν ἀρχιερέα Ἰαδδοὺν ἐτίμησε θύσας τῷ θεῷ, ὡς παρ' αὐτοῦ τὴν οἰκουμένην ὁμολογῶν παρειληφέναι, ἧς* ['*Ιουδαίας*] *καὶ ἐπιμελητὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τόπων Ἀνδρόμαχον κατέστησεν, ὃν ἀνελόντες οἱ τὴν Σαμάρειαν οἰκοῦντες, δίκας ἔτισαν, ἐπανελθόντος Ἀλεξάνδρου ἐξ Αἰγύπτου. Τὴν Σαμάρειαν πόλιν ἑλὼν Ἀλέξανδρος Μακεδόνας ἐν αὐτῇ κατῴκισεν.* Quae ab HIËRONYMO sic redduntur (4): *Alexander, captâ Tyro, Judaeam invadit, a quâ favorabiliter exceptus, Deo victimas immolavit* (l. immolat), *Pontificem Templi honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interficiunt: ob quae ab Aegypto reversus Alexander magnis eos suppliciis afficit, et urbem eorum captam Macedonibus ad inhabitandum tradit.*

Haec illi: at videndum, num vere! Primum, si caedis Andromachi auctores, Alexandri metuentes vindictam, Samariam munivissent, eaque urbs ab eo expugnata, et, expulsis Indigenis, a Macedonum Coloniâ, sive ab Exteris, in castris illorum militantibus, frequentata esset, haec JOSEPHUS sane tradidisset. Potius statuam, Alexandrum in Aegyptum abeuntem, Samariae praesidium reliquisse, atque eum hoc non fecisse ad Andromachi caedem vindicandam, sed ad Palaestinam cohibendam, et *eam urbem* ipsum elegisse, quia urbs erat primaria, et in mediâ terrâ sita, atque ei igitur consilio aptissima.

---

(1) PRIDEAUX l. l. I, p. 467, coll. 763. (2) JOSEPH. *contr. Apion.* II. 4.
(3) Conf. J. J. SCALIGER *Thesaur. Temp. Euseb.* ed. 2a Amst. 1658 fol., in textu gr. p. 56, coll. p. 177.
(4) *Chron.* . . I, p. 35.

Haec quum postea non satis distinguerentur, et *Samariae ab Hyrcano captae* memoria cum iis fortasse conjungeretur, traditio, ab EUSEBIO memorata, orta sit. HECATAEI auctoritatem insignem videri, fateor; nam hic Alexandri aequalis erat, et Hisqiae, Judaeorum Sacerdotis, familiaris (1). Attamen, et si quae ejus nomine feruntur, authentica et fide digna sint, non id ea probant, quod PRIDEAUX posuit. Si nempe Alexander Judaeis *ob fidem ipsi praestitam*, *Samaritidem habitandam* permiserit, addito privilegio *ipsos tunc tributi fore immunes*, idem fortasse Samaritanis ille concessit, et eo quidem, ut videtur, consilio, ut funestam, quae utramque Gentem invaserat, aemulationem, iis invicem commiscendis, tandem exstingueret. Eventum votis non respondisse, Historia docet, quâ teste, sic de ambobus Populis judicare nos oportet, hos tributa solvere maluisse, quam Terram et Gentem exosam petere.

---

Ut ante, ita post Alexandrum, Judaeorum et Samaritanorum vicissitudines ob res deinceps per Orbem terrarum gestas, per longum tempus similes fere fuerunt. De Samaritanorum *aegyptiorum* conditione ante (p. 38 et seqq.) locuti sumus. Samaritani *palaestinenses* pariter atque Judaei, in Palaestinâ habitantes, post Alexandri mortem anno 323, per 22 annos variam et miseram sortem experti sunt. Palaestina enim, Laomedontis, Syriae Praefecti, imperio subjecta (2), anno 320 a Nicanore Ptolemaei nomine, anno vero 314 ab Antigono, ex Asiâ superiori redeunte, occupatur. Ptolemaeus deinde anno 311, Antigoni filio Demetrio ad Gazam clade affecto, eam Terram recipit, ex quâ tamen, adventu Antigoni cognito, proximo anno recedit. Anno vero 303 Ptolemaeus eamdem recuperat, et post proelium ad Ipsum, anno 301 commissum, retinet (3).

Hierosolyma anno 312, ut vulgo statuitur, Ptolemaeus, victoriâ reportatâ elatus, cepit, graviter fortasse ferens, Judaeos cum reliquis Palaestinensibus, partibus Antigoni, cujus magnam fi potentiam revererentur, addictos fuisse. Antigoni igitur, postea redeuntis, vindictam reformidantes, permulti tum Judaei tum Samaritani, cum Ptolemaeo, quum hic, Acconis, Joppes, Samariae et Gazae munimentis destructis, in Aegyptum regredi constituisset, eo profecti sunt (4). Quo plures autem thesauros secum raperet, Ptolemaeus

---

(1) JOSEPH. *contr. Apion.* I. 22 (ed. Haverk. II. p. 455).

(2) Vid. BERTHEAU l. l. p. 408.

(3) Vid. HEEREN *Handb.* p. 294 seq., coll. p. 262 seq. et 365.

(4) DIOD. SIC. XIX p. 721 ed. Wessel. II, p. 390. Utitur DIODORUS voce κατέσκαψε, quae non de *urbibus universis*, sed de *earum munimentis dirutis* hic intelligatur. De Judaeis et Samaritanis, eo tempore in Aegyptum migrantibus, scripsit JOSEPH. *Antt.* XII. 1. 1.

eo tempore Templi garizimitani spoliandi *consilium* iniisse videtur, cujus Abū-'l-fatḥus in Chronico meminit (1).

Sub Ptolemaeorum imperio Samaritani et Judaei per longum tempus placide vixerunt pleramque, ac minus turbatâ quiete tunc etiam usi fuissent, si altera Gens alteram non infestasset. De Samaritanorum saltem injuriis et noxis, eo tempore Judaeis illatis, Josephus queritur (2). Idem ibi res Samaritanorum *prosperas*, Judaeorum vero *angustas* tunc fuisse perhibet, quamquam et illi non minus quam Judaei, bellis eo tempore inter Alexandri Successores gestis, vexabantur (3), ac Ptolemaeis *annuum tributum*, ut postea Seleucidis, solvere coacti erant. Multis haec Josephus eodem loco illustrat, historiam enarrans, quae acciderit regnante Ptolemaeo Euergete. Onias II, Judaeorum Pontifex, homo avarus, eo tempore tributum jam dudum non pependerat. Athenion igitur, Regis aegyptii Legatus, Hiërosolyma mittitur, qui minitetur, tributo non soluto, Judaeam militum Coloniae divisum iri. Ut Gentis causam agat, Josephus quidam, Oniae cognatus, in Aegyptum proficiscitur, dona secum ferens, quae 20,000 drachmis Samariae sibi comparaverat. *Ὁ δὲ Ἰώσηπος* (Flavius Josephus inquit, l. l. §. 3): *διαπέμψας πρὸς τοὺς φίλους εἰς Σαμάρειαν, καὶ δανεισαμένος ἀργύριον, καὶ τὰ πρὸς τὴν ἀποδημίαν ἑτοίσαμένος, ἐσθῆτάς τε καὶ ἐκπώματα καὶ ὑποζυγία, καὶ ταῦθ' ὡς περὶ δισμυρίας δραχμὰς παρασκευασαμένος, εἰς Ἀλεξάνδρειαν παρεγένετο.* Causa, quare is amicos adierit, *Samariae* habitantes, non vero Hiërosolymitanos, quos ei, Pontificis familiari, benevolos futuros esse opineris, vix repeti potest ex odio, quod Onias sibi suisque contraxerit. Verisimilius est, illos his opulentiores fuisse, eosque ut Ascalonitas mercaturâ faciendâ divitias cumulasse (4). Notatu enim dignum est, quod de Ascalonitis §. 5 monetur: 20 occisorum bona publicata *mille talenta* valuisse (*τὰς οὐσίας αὐτῶν εἰς χίλια τάλαντα ἀθροισθείσας, ἔπεμψε* [*Ἰώσηπος*] *τῷ βασιλεῖ*). Ac Judaeos revera conditione tunc usos esse minus fortunatâ, alter locus (§. 10), Josephi illius laudes exhibens, declarat: *τελευτᾷ δὲ καὶ ὁ τοῦ Ὑρκανοῦ πατὴρ Ἰώσηπος, ἀνὴρ ἀγαθὸς, γενομένος καὶ μεγαλόφρων, καὶ τὴν τῶν Ἰουδαίων λάον ἐκ*

(1) Vid. fragmentum a Schnurrero editum in *N. Report.* I, p. 120 seqq. Legatus Ptolemaei اورودوس nuncupatur. Ptolemaeus vero فيليفس اخو الاسكندر وكان يسمى بطليموس (l. بطلميوس); id est *Philippus, frater Alexandri, cujus cognomen erat Ptolemaeus.* Hic ergo confunditur cum *Arrhidaeo*, Alexandri fratre, et notho *Philippi*, qui *Philippi* nomine una cum Alexandri filio aliquamdiu ejus Regno praepositus erat. Ptolemaeus, auditis Samaritanorum Legatis, consilium missum fecisse dicitur. Minus accurate ergo Bernardus in *Act. Lips.* p. 169: *Orodes eo* (Ptolemaeo) *jubente aedem Garizenam spoliavit, tributumque grave a Neapolitanis exegit.*

(2) *Antt.* XII. 4. 1.

(3) Vid. Bertheau l. l. p. 409.

(4) Mercaturâ enim ut ante, sic etiam iis temporibus, turbis paululum sedatis, brevi restaurabatur, citius vero et feliciore cum successu quam in Judaeâ, in partibus Palaestinae septentrionalibus et maxime in portibus. Vid. Bertheau l. l. p. 363 seqq., 387 seqq.

*πτωχείας καὶ πραγμάτων ἀσθενῶν εἰς λαμπροτέρας ἀφορμὰς τοῦ βίου κατάστήσας, εἴκοσιν ἔτη καὶ δύο τὰ τῆς Συρίας τέλη καὶ Φοινίκης καὶ Σαμαρείας κατασχών.* Harum regionum vectigalia, quae ante summam 8000 talentorum non superaverant, Josephus duplo conduxerat. *Vectigalia* ibi non describuntur. Probe autem haec distinguenda sunt ab *annuo tributo*, quod (§. 1) *20 talentis* constitisse dicitur. Illorum vero ratio illustretur ex definitione vectigalium, quae Judaei *Seleucidis* solvebant, in quibus recensentur, *reditus salis* et *fructuum*, tum *agrorum*, tum *arborum*, ac *pars* fortasse *decimarum*, et *oblationum sacrarum* (1).

Tributa Judaeis et Samaritanis imposita, aliquamdiu *Ptolemaeos inter et Seleucidas divisa* fuerunt, non, ut ex Josepho (2) efficeres, sub Ptolemaeo *Euergete*, sed regnante Ptolemaeo *Epiphane*, quem Josephus cum illo confudit. Nam huic Antiochus magnus filiam Cleopatram despondit, et eam Coelesyriâ, Samariâ, Judaeâ et Phoeniciâ dotavit, additâ conditione, ut Syri et Aegyptii tributa inter se divideent.

Non *Indigenas* amplius, sed *Exteros*, et *Graecos* plerumque Palaestinae praefectos fuisse, tum ex *Andromacho* et *Asclepiodoro* novimus, tum etiam rationes politicae, in Aulâ Alexandriae et Antiochiae vigentes, suadere videbantur. Josephus autem, de quo modo locuti sumus, *vectigalibus* aegyptii Regis nomine colligendis praepositus erat, is vero fuit Judaeus. *Samaritanorum* ergo tunc minor quam sub Persis publica erat in Palaestinâ auctoritas, quae praeterea eo graviora detrimenta cepit, quo magis cresceret dignitas Pontificis judaei; cujus rei causa fuerit tam sensus libertatis, Exterorum dominatione inter Judaeos vehementius excitatus, quam favor insignis, quo ob magnum ipsorum numerum per Aegyptum, et Alexandriae praesertim, ii in Aulâ aegyptiâ plerumque fruebantur. Pars contra Gentis samaritanae Graecorum sacris et moribus facilius se accommodans, et cum Graecis, in Samaritidem confluentibus, arctius se conjungens, effecit, ut ad Graecos sensim taciteque hujus Gentis principatus deferretur. Quae quam vera sint, e sequente Dominationis seleucidicae historiâ elucet.

---

Ptolemaeorum imperio per centum circiter annos subjecta, Palaestina deinde Seleucidis paruit, ab anno inde 203, quo ab Antiocho magno occupabatur. Tristes erant calamitates, quas Judaei et Samaritani perpessi sint in bello, ab hoc Rege cum Aegyptiis de Palaesti-

(1) Conf. 1 *Macc.* X. 29—31, et XI. 34 seq., coll. Joseph. *Antt.* XIII. 4. 9. Ex fructibus *agrorum tertia arborum* vero *dimidia pars* solvenda, sive pretio substituto, redimenda erat. *Στεφανοὶ* non videntur diversi esse a tributo, quod dicitur *στεφανικὸν τέλεσμα*, et a Suidâ sic describitur: *munus, quod non tanquam tributum Dominis, sed ut corona Amicis* solvebatur. *Munera* ergo haec erant *voluntaria officii causâ oblata.*

(2) *Antt.* XII. 4. 2.

nae possessione gesto. JOSEPHUS de eo exponens (1), Judaeorum conditionem cum *nave* comparavit, *undis utrinque agitatâ*.

At non minus funestae utrique Genti partium erant contentiones (2), quarum aliis Graecorum mores et Cultus, aliis vero sola mosaïca Instituta placebant. Cum *his* ii Samaritani se conjunxerint, exterarum Gentium et Israëlitarum veterum posteri, qui, quamvis Cultum judaïcum nondum amplexi essent, indigne ferrent, Sacra sua violenter sibi eripi. Cum *illis* omnes fecerint, quibus Religio, sive judaïca, sive asiatica, sive prisca israëlitica parum cordi esset, cujusmodi multi fuerint Samaritani, quos modo diximus, qui diuturniore cum Exteris commercio horum consuetudinibus assuefacti essent. *Principes harum* partium *patroni* erant ipsi Graeci, quorum magna in Samaritidis urbibus erat frequentia.

Sub Seleucidis, quibus dominantibus urbium syriacarum incolae, ac praesertim Antiocheni, graecis moribus adeo se accommodaverant, fieri aliter non poterat, quin idem studium per Palaestinam continuo proseperet ulterius. Itaque Syris id alentibus, partes, graecum Cultum promoventes, non modo in Samaritide, sed etiam in Judaeâ brevi superiores evaserunt, et harum insania Hiërosolymis eo audaciae processit, ut, graviter licet reluctantibus Cultûs mosaïci sociis, Templum hiërosolymitanum Idolorum Sacris contaminaretur (3). Idem, quid mirum? — inter Samaritanos factum est. Ipsorum Templum Jovi *Ξενίῳ*, sive ut JOSEPHUS ait, *Ἑλληνίῳ* item consecrabatur (4).

*Omnibus* Samaritanis probantibus, hoc factum esse, nemo, credo, opinetur. Ex Literis, a JOSEPHO exhibitis, quarum tamen authentia jure in dubium vocatur, Samaritanos illud *petivisse*, sane constet. Sed *quinam* istud rogarunt? Effrenati scilicet, ut Judaeus iste Menelaus, rerum novarum propugnatores. Brevi igitur, ac fortasse haud ita multo post quam Judaeorum Cultus Hiërosolymis restitutus erat (isque *per tres annos et quod excurrit* (5), celebrabatur ibi), — Cultus Samaritanorum etiam in ipsorum Templo restauratus esse videtur. Maccabaeorum enim in Judaeâ praevalentium famâ, expeditionibus, quas Judas mox in circumjacentes regiones suscepit (6), quoquoversus propagatâ, Zelotarum samaritanorum item furor certo refrenatus est.

In Chronicis samaritanis de hac Cultûs intermissione altum tenetur silentium, sive quoniam ea ob breve, quod duraverit, tempus in oblivionem abierit, sive potius, quia eorum Posteri, facinus detestantes, hoc omittendo Gentis existimationi se sic consulturos esse pu-

---

(1) *Antt.* XII. 3. 3. (2) *Antt.* XII. 5, et 7. 9, coll. 1 *Macc.* I, ibique in primis vs. 11—15.
(3) 1 *Macc.* I. 54, 59, 2 *Macc.* VI. 2, coll JOSEPH. *Antt.* XII. 5. 4.
(4) 2 *Macc.* VI. 2, et JOSEPH. l. l. XII. 5. 5. (5) Cf. 1 *Macc.* I. 54, cum IV. 54.
(6) 1 *Macc.* V, *Antt.* XII. 8.

taverint. Ex *Judaeorum* tamen dictis, praesertim ex accuratâ temporis *definitione* apud Josephum (1), ne *universae aetatis rationes* dicam, istud revera factum esse, constat.

Cultu mosaïco in Templo garizimitano restituto, Samaritani tamen ad Syros pellendos cum Maccabaeis se non conjunxerunt. Non unam ob causam *Gens* samaritanâ ab hoc bello abstinuisse videtur. Syri nempe, ut Judaeam rebellem coërcerent, ceteras Palaestinae incolas arctius sibi conciliare studebant; quod quo melius ipsis cederet, hos sub vexillis suis militare cogebant. *Καὶ συνήγαγεν*, Auctor inquit 1 *Macc.* III. 10, *Ἀπολλώνιος ἔθνη, καὶ ἀπὸ Σαμαρείας δύναμιν μεγάλην τοῦ πολεμῆσαι πρὸς Ἰσραήλ.* Multi deinde Samaritani Syris etiam favebant, quos tuebantur tum Syrorum Magistratus, in mediis Samaritanis habitantes, tum exercitus transeuntes. Apollonius nimirum, a quo distinguitur Seron, *Coelesyriae* Praefectus, praepositus erat *Samariae* (2), et exercitus per vadum *Bēth-scheānis* in Judaeam tendebant (3). — Ii denique, qui, ut Judaei, Cultum mosaïcum profiterentur, satis habentes, se hunc restituisse, non multum ceteroquin egisse videntur. Aliorum metu cohibiti, nec numero, nec vi internâ magnopere valentes, ac Ducibus carentes aptis et alacribus, nihil ipsi suscipere poterant. A belli, quod a Judaeis gerebatur, societate, plerique paratam videntes Syrorum et horum amicorum vindictam, abhorrebant; idque bellum, pro *Templo hiërosolymitano* quippe susceptum, inveteratam invidiam multis in mentem revocaverit. Qui autem istas praejudicatas opiniones missas fecerint, in Maccabaeorum ordinibus ii, sed pauci, latuerint. Nam hanc aemulationem magis excitare Syri certo non neglexerunt, tum ipsi, tum Judaeorum transfugarum interventu. Nam hi, in Psalmis dicti רְשָׁעִים, a Josepho vero *φυγάδες*, et a 1 *Macc.* Auctore *ἄνομοι* et *ἀσεβεῖς* (4), Syrorum exercitus non modo auxerunt (5), sed et ad Gentes vicinas confugientes, has, ut Maccabaeorum progressibus resisterent, excitarunt (6), acriterque ipsi arcem Hiërosolymorum cum Syris defenderunt (7).

Sic bellum sacrum, quod in Judaeâ exarsit, in Samaritide ne oriri quidem potuit, idque tempus, Judaeis adeo splendidum et honorificum, nullam Samaritanis gloriam paravit.

Judaei hocce bellum suscipientes, tantummodo ut *Cultum sacrum tuerentur*, arma primum gesserunt, et hoc solo consilio bellum etiam continuarunt, postquam Judas (166—161) Syros saepius profligaverat (8). *Civitatis, a Syris non pendentis*, condendae consi-

---

(1) *Antt.* XII. 5. 5.

(2) 1 *Macc.* III. 10 et 13, coll. Joseph. *Antt.* XII. 7. 1.

(3) 1 *Macc.* III. 40, et XII. 41, coll. *Antt.* XII. 7. 3, et 11. 1, et XIII. 6. 1. Saepe etiam transibant exercitus per *regiones trans Jordanem, in meridionales Judaeae tractus.* Vid. 1 *Macc.* IV. 29, VI. 31, XIII. 20; coll. Joseph. l. l. XII. 7. 5 et 9. 4, XIII. 6. 4.

(4) 1 *Macc.* IX. 23, et III. 15.

(5) Joseph. *Antt.* XII. 7. 1, 3.

(6) 1 *Macc.* V, coll. Joseph. l. l. XII. 8.

(7) Joseph. l. l. XII. 9. 3, et XIII. 4. 9.

(8) 1 *Macc.* III—IX. 22, coll. Joseph. l. l. XII. 7—11.

lium postea demum maturuit. Et huic rei ansam dederunt non bella tantum feliciter gesta, sed turbae praesertim, quae mox in Regno Seleucidarum ortae sunt. Jonathan nempe (161—143), Alcimo mortuo, *Pontifex summus* creatus, et primum ab Alexandro Balâ, deinde a Demetrio II multis honoribus splendidisque titulis ornatus, Syris tamen erat tributarius. Hic primus regiam dignitatem in Numis, sed *tecte*, sibi arrogare coepit (1). Syrorum praesidiis ex Arce hierosolymitanâ expulsis, Judaeorum Resp. a Simone (143—135) confirmata est (2), cujus eo tempore conditio, *poëticis* coloribus 1 *Macc.* XVI. 4 seqq. depingitur. Titulum tamen Simon gerebat *στρατηγοῦ καὶ ἡγουμένου*; tributique immunitatem modo a Syris impetraverat (3). Huic successit Filius, Johannes Hyrcanus (135—107), Syros, quorum Regnum inter duos Antiochos, Cyzicenum alterum, alterum Gryphum, tunc dividebatur, minime amplius curans. *Ἀμφοτέρων*, Josephus inquit (4) *κατεφρόνησεν*. Integrâ libertate fruens Hyrcanus, Regni fines etiam protulit, ac Judaeorum Sacra, alacris Pharisaeorum socius, simul propagavit. Utrumque in politicis Successorum ipsius rationibus arcte cohaesisse, ex Aristobulo (107—106) et Alexandro Jannaeo (106—79) novimus, quorum *ille* Ituraeis domitis Judaeorum Ritus pari modo atque Pater Hyrcanus Idumaeis, obtrusit (5), *hic* vero Pellam, eos Ritus recipere renitentem, subvertit (6).

Ejusmodi consilia agitans, Johannes Hyrcanus Templum item garizimitanum anno circiter 130 destruxit (7), utque Samaritanos penitus frangeret, Samariam urbem, *captam tandem*, delevit.

Jonathani et Simoni praefectura oppidorum tantum, Judaeae vicinorum, a Seleucidis concessa erat. Sunt *Ἀφειρεμὰ* (Joseph. *Ἀφερεμά*), *Λύδδα*, et *Ῥαμαθέμ*, sive *Ῥαμαθά* (8). Oppidum primo loco nuncupatum, eo nomine in V. T. non memoratur. Robinson (9) opinatus est, hocce oppidum, et *Ῥαμαθέμ* sive *Ῥαμαθά*, quia locis laudatis uno tenore cum *Λύδδα* recensentur, Lyddae vicina fuisse. Collato tamen alio loco Josephi (10), videmus, *Βηθῆλά τε καὶ Ἐφραΐμ*, a quâ *Ἀφειρεμὰ* certo non differt, conjunctim memorari. A Vespasiano, Hiërosolyma tendente, haec loca praesidiis instructa esse ibidem

---

(1) 1 *Macc.* IX. 23—XII, in primis X. 64, 65, 89, et XI. 26, 30; coll. Joseph. l. l. XIII. 1—5, et H. A. Hamaker *Misc. Phoen.* p. 160—162. *Regis* tamen titulum *publice* demum assumsit Johannis Hyrcani filius, Aristobulus (Bertheau l. l. p. 428).

(2) 1 *Macc.* XIII—XVI; coll. Joseph. l. l. XIII. 6 et 7.

(3) 1 *Macc.* XIII. 36 seqq. De *Johanne Hyrcano* conf. Joseph. *Antt.* XIII. 8—10.

(4) l. l. XIII. 10. 1. (5) *Antt.* XIII. 11. 3. (6) *Antt.* XIII. 15. 4.

(7) Joseph. l. l. XIII. 9. 1. De Templi loco et ruderibus vid. Robinson *Pal.* III, p. 320 seq.

(8) 1 *Macc.* XI. 34, coll. Joseph. l. l. XIII. 4. 9, et 2. 3. Ex quibus locis illustrantur 1 *Macc.* X. 30, et 38, et Joseph. l. l. XIV. 10. 6.

(9) *Pal.* III, p. 251. (10) *De Bello Jud.* IV. 9. 9.

dicuntur, postquam *Gophnam* ceperat. 'Εφραΐμ ergo oppidum erat a viâ, quâ incedebat, id est a viâ Neapolis, sive Sichemi, haud procul remotum, et locus alicujus momenti, quem Imperator, ne insidiae ipsi a tergo ponerentur, a Romanis occupandum esse censeret. Hocce autem oppidum fortasse non diversum erat ab עָפְרָה, oppido Binjaminitarum (1), ab oriente sed septentrionem versus a Bethele sito, ab eoque distante 5 milliaribus romanis. Ac revera *Ophra* sita est in *alto* loco, locis vicinis eminente, unde conspectus patet per vallem Jordanis, Mare mortuum, et Meridiem versus Bethlehemum usque (2). Hodie vocatur أَلطَّيِّبَة, quod nomen, ut RÖDIGERUS conjecit (3), depravatum sit ex أَلظَّبْيَة, *hinnula*, et sic (ut alia nomina) versum est ex voce hebr. עֶפְרֹן. *Hujus* item hebr. nominis pronunciatio olim depravata erat. In versione LXX scribitur 1 Sam. XIII. 17 *Γοφερά*, sed Josuae XVIII. 23 *'Εφραθά*, ex quâ formâ orta sit *'Εφραΐμ*, et hinc *'Αφερεμά*. HIËRONYMU *Aphra* pronunciat (4). Urbs autem *'Ραμαθὲμ*, sive *'Ραμαθὰ* non cum ROBINSONO distinguenda est ab hodierno oppido أَلرَّمْلَة (Ar-ramla (5)).

Tribus iis Toparchiis acceptis, Jonathan et Simon Samaritidem etiam cum armatâ manu nonnumquam invaserant, et loca nonnulla occupaverant, non vero tenuerant, nec Samaritanos sub suam potestatem redegerant. Hoc Hyrcano demum cessit anno 109, 21 annis post Templum garizimitanum devastatum. Quâ ex re appareat, quam arduum ei fuerit hanc Gentem domare, et quantopere haec, omnibus viribus, quam diu potuerit, intentis, reluctata sit. Libertatem Samaritani per illud tempus tuebantur urbe tenendâ munitissimâ, Samariâ, ad quam ita difficilis erat aditus, ut non nisi fame, ut antea (6), ad deditionem cogi posset (7). Hanc expugnare Hyrcanus ante jam, sed frustra, tentaverit. Obsidionem igitur anno 110 renovat, in eâque annum consumit. Samaritani, in angustias redacti, Antiochi Cyziceni, Damasci regnantis, auxilia implorant. His a Judaeis fugatis, illi eum iterum adeunt. Antiochus auxilia amplius praestando ipse impar, Ptolemaeum Lathūrum, Aegypti Regem, ad Samaritanos juvandos excitat. Mittitur ab eo 6000 militum exercitus. Samaritanis vero missus exercitus parum prodest ob Ducum tum ignaviam, tum perfidiam. Tandem Samaria fame ad deditionem cogitur, captaeque urbis nulla fere vestigia relinquuntur (8). Hanc expeditionem Hyrcanus suscepisse fertur (9), *μισοπονηρῶν*

---

(1) Jos. XVIII. 23, 1 Sam. XIII. 17.
(2) ROBINSON l. l. II, p. 333—335.
(3) *A. L. Z.* 1842 N°71, p. 565.
(4) ROB. l. l. II, p. 338.
(5) ROB. l. l. III, p. 251. ROBINSONI argumenta refutavit, collatis maxime Neh. XI. 33, 34, K. VON RAUMER *Beitr. zur bibl. Geogr.* Leipz. 1843, p. 30 seq. Cum quibus conjungantur dicta GROSZII, in *theol. Stud. u. Krit.* 1845 heft 1, p. 244 seq.
(6) 2 Reg. VI. 24 seqq.
(7) De situ urbis amoeno, naturâ munitissimo ac soli fertilitate, vid. ROBINS. l. l. III, p. 363 seqq.
(8) JOSEPH. l. l. XIII. 10. 3. Fontium, quorum h. l. mentio fit, meminit etiam BIBL. TUDEL., p. 38.
(9) JOSEPH. l. l. §. 2.

*τοῖς Σαμαρεῦσι, ὑπὲρ ὧν Μαρισσηνοὺς ἀποίκους ὄντας Ἰουδαίων καὶ συμμάχους ἠδίκησαν, ὑπακούοντες τοῖς τῶν Σύρων βασιλεῦσι.* Quod utinam JOSEPHUS pluribus exposuisset! Sed injuria Marissenis illata, non unica Hyrcano causa fuit, quare Samariam obsidione clauderet. Praecipua fuit causa ipsum odium, quo in Samaritanos ferebatur, et quod hi suis facineribus magis etiam inflammabant perpetuo. Ex loco laudato nimirum evidenter apparet, Samaritanos *iis* etiam temporibus studuisse, ut eam Judaeorum hostibus facerent, et sic agendo *Seleucidis* obsequium praestarent, a quibus ipsi mutuo, ut vidimus, adjuvabantur. Et sane credibile est, Samaritanos quibuscunque modis omnis generis molestias Judaeis continuo creasse. Quod ut facerent, non aptior Samaritanis occasio offerri poterat, quam partium, imperio inhiantium, haud interruptum in Regno syriaco certamen. Cujus Aulae Annales si servati fuissent, quot ét Samaritanorum ét Judaeorum transfugarum artes, fraudulentaeque et astutae machinationes, tradi fortasse potuissent!

Historiam Samariae, ab Hyrcano expugnatae, ABU'LFATHUS in Chronico etiam narravit (1): *Urbem*, inquit, *post gravem obsidionem cepit, magnamque cladem inter Samaritanos edidit. Postea Nabolosum tendit, quam tamen post bellum vehemens et utrique parti cruentum capere non poterat. Templi*, ejusque *vastationis*, nulla ibi fit mentio, attamen supponitur. Nam Hyrcanus, postquam ad Sadducaeorum partes transierat, *Montem benedictum* (non *Templum* ait) *quem Dei domicilium esse sibi persuasum haberet, adire voluisse* dicitur, *a cujus aditu quum a Samaritanis prohiberetur, sacrificia, decimas, vota, aliaque donaria illuc miserit.* Haec, ut quisque animadvertit, non credibilia; dicta contra de dissidio Hyrcanum inter et Pharisaeos, JOSEPHUS confirmat (2). His enim ille succensuit, petentibus, ut Pontificatu se abdicaret. Quod facere quum nollet, Pharisaei tamdiu tumultuati sunt, donec res ipsis tandem cessit. Postea id factum est, Alexandrâ, Viduâ Alexandri Jannaei, imperium tenente, quae Filium natu majorem *Hyrcanum* Pontificem creavit, civitatis vero administrationem sibi et Aristobulo servavit (3).

Palaestinae principatu ad Judaeos delato, multi Samaritani terras vicinas petivisse videntur, et ab hoc tempore, ut supra (p. 42) conjecimus, Coetus eorum *Damasci*, Antiochi Cyziceni sede regiâ, exstiterit. Labante Judaeorum dominatione, Samaritanorum palaestinensium res paulatim reficiebantur. Templum quidem in Monte Garizimi non amplius restituebatur, sed Cultus quam primum eo in loco denuo instauratus, et, simulatque Judaei id non impedirentur, *ara* ibi posita fuerit. Sichem sine dubio ob loci sanctitatem, haud ita multo post Hyrcani aetatem incolis iterum frequentari coepta est.

---

(1) In fragmento, a SCHNURRERO edito in *N. Repert.* I. p. 146 seqq.

(2) *Antt.* XIII. 10. 5—7.

(3) *Antt.* XIII. 16. 1 et 2.

Haec emendata Rerum samaritanarum conditio Judaeorum invidiam et indignationem rursus excitavit. Nomen, Sichemo ab his inustum, id testatur. Proavorum exemplo, qui בֵּית אֵל in בֵּית אָוֶן mutaverant, Sichemum [שְׁכֶם], *Cultum*, qui Judaeis *corruptus* videbatur, deludentes, *vulgari sermone* tunc nuncupare coeperunt *Sichar*. Quod quin ex Hebraïco שִׁכֵּר (*potus inebrians*) ortum sit, non dubito. Hoc scilicet in mentem confestim revocat illud Sirachidis, Sichemitas vocantis λαὸν μωρόν (1), et *Testamentum XII Patriarcharum*, ubi ea urbs πόλις dicitur ἀσυνέτων (2). Deinde, ut verborum lusus instituatur, *unam* tantum literam mutare opus est. — Alii opinati sunt *Sichar* ortum esse ex שָׂכָר, id est *merces* (3), alii ex שֶׁקֶר, quae forma tunc posita esset pro שֶׁקֶר *mendacium* (4); alii ex Talmudico שוכר (סוֹכֵר?) *sepulcrum* (3). *Hoc* quam ineptum sit, quisque videt. Idem de שָׂכָר judicandum est, quam vocem si cogitassent Judaei, formam hanc σέχερ pronunciassent, non σιχάρ. Similis difficultas in voce שֶׁקֶר obvia est, et alia praeterea, oriunda ex literae *Caph* et *Qōph* permutatione, quae si abessent, *significatio* vocis sane se commendaret. Nomen *Sichar* ex Joh. IV. 5, ut omnes norunt, pervulgatum est, ubi J. C. venisse dicitur εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, λεγομένην σιχάρ, sive συχάρ, ut alii Codices exhibent. Frequens enim in Oriente, ut alibi, vocalium *i* et *u* est permutatio, conf. modo Συμεὼν Luc. II. 25, et III. 30, cum שִׁמְעוֹן, et ipsa hujus urbis scriptio apud LXX, συχέμ. Idem obtinet in Poësi arabicâ, ubi in Rhythmo finali vocales *u* et *i* pariter admittuntur. Ad συχάρ ergo explicandum, aliam formam anquirere non opus est, quam sibi invenisse videbatur Cellarius, conspectâ voce שוכר, quâ *sepulcra* Patriarcharum, quae Samaritani in Sichemi viciniâ commonstrant, a Judaeis spectata esse putabat.

Nomen istud *inter Judaeos*, ut ex loco Johanneo manifestum est, olim fuit tritissimum, sed fortasse in *vulgari sermone* tantum receptum, atque *extra Palaestinam* minus con-

---

(1) Jes. Sir. L. 25 seq. (2) Vid. supra p. 79.

(3) De *primâ* et *tertiâ* Etymologiâ vid. Cellar. *Exercitat.*, p. 14 seq.

(4) Vid. Reland. *Diss. Misc.* Tom. I, p. 140 seq. Falsa est Hengstenbergii conjectura (*die Authentie des Pentat.* 1 Bd. p. 25 seq.), Johannem *ipsum*, vocem שקר attendentem, nomen συχέμ in συχάρ mutasse, ut *suam* de Samaritanis sententiam quam brevissime significaret, cujus ampliorem commentarium exhiberent verba J. C. ad Mulierem: ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε. At licet verum sit, nomen σιχάρ in aliis Scriptis non occurrere, ex locis tamen Sirachidis, et *Testamento XII Patriarcharum* laudatis apparet, Judaeos Samaritanos petivisse dicteriis, iisque a probabili vocis σιχάρ significatione non magnopere diversis. Neque etiam dictum adeo *acerbum*, atque *artificium istiusmodi* a Johanne Apostolo exspectes, cujus tamen aliud exemplum Hengstenbergius sibi reperisse visus est in verbis ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ac si his suum ipse nomen יוחנן respexisset!

suetum, et *post Hiërosolyma a Romanis eversa*, obsoletum esse videtur. Quod efficias non modo ex JOSEPHO, qui nomine recentiore Νεάπολις (1), sive (ut in *Antt.* Opere) Σικιμά semper utitur, sed in primis ex falsis de loco, *Sichar* dicto, opinionibus, EUSEBII aetate in *Palaestinâ* jam pervulgatis. EUSEBIUS ipse (2) *Sichar* locum esse contendit *a Sichemo diversum*, et *ab oriente Neapolis*, in cujus suburbiis *Sichemi* rudera ostendebantur, *situm*. Idem tradit ejus aequalis, Auctor *Itinerarii hiërosolymitani* (3) anno 333. HIËRONYMUS vero, qui traditionem, ea loca *diversa* esse, in *Onomastico* propagavit, falsam hanc opinionem alibi emendavit, *eadem* ea esse docens, sed in alium errorem incidit, scriptionem σιχάρ Scribarum *lapsui* esse tribuendam. In *Epitaphio Paullae*, cap. VI, *transivit*, inquit, SICHEM, *non*, *ut plerique* errantes *legunt*, SICHAR, *quae nunc* NEAPOLIS *appellatur.* Et in *Quaest. in Gen.* c. XLVIII. 22, SICIMA, inquit, *juxta Graecam et Latinam consuetudinem declinata est: alioquin Hebraïce* SICHEM *dicitur*, *ut Joannes Euangelista testatur*, *licet vitiose*, *ut* SICHAR *legatur*, error *inolevit: et est nunc* NEAPOLIS, *urbs Samaritanorum.* Quae opinio si causa fuerit, ut hoc vocabulum l. l. a *nonnullis* olim deditâ operâ in *Sichem* corruptum sit, a *plerisque* falsa haec emendatio merito repudiata est (4).

Aliud huic opprobrio dicterium Samaritani opposuerunt, Hiërosolyma, בֵּית מִקְדָּשׁ sive *domum Sanctuarii* a Judaeis dicta, vocantes בֵּית מַכְתֵּשׁ, id est: *domus contusionis* sive *desolationis* (5). Idem observandum est de vocabulo פְּלַטְנָאוֹם (sic), sive πελέθου ναός, quo Judaei Montem Garīzīmi; et de בֵּית קִלְקַלְתָּא, sive *domo stercoreâ*, quo Samaritani Templum hiërosolymitanum per irrisionem nuncuparunt (6).

---

Quid Samaritani sub Hyrcani Successoribus praeterea egerint, ut suis ipsi rebus consulerent, Judaeorumve dominationi se opponerent, non traditum est. Eos otiosos rerum specta-

---

(1) *De Bello Jud.* IV. 8. 1.

(2) *Onomast.* in voce *Sichar* et *Sichem.*

(3) Ex ed. WASSELINGII, p. 587.

(4) Conf. etiam ROBINS. l. l. III, 1. p. 343 seq.

(5) Conf. locus ex Epist. Samarit. ad LUDOLF., ap. CELLAR. l. l., p. 15; et *Acta Lips.* l. l., p. 168.

(6) RELAND. l. l., p. 126 seq. Aliud duplicis nominis exemplum habetur fortasse in vocibus אַחְלָב et אַכְשָׁף. Urbem volo in litore Maris mediterranei a septentrione Acconis sitam. Prius nomen tantum occurrit Jud. I. 31, *pinguedinem* notans, idque, a *soli fertilitate*, sive *maris deliciis* desumtum est. Alterum cohaerere videtur cum Idolorum Cultu, spectans fortasse *oraculum*, *artesve magicas*, quibus urbs inclaruerat. Significat nempe *incantationem*, et occurrit Jos. XII. 20, et XIX. 25. Alia vicina urbs, eadem fortasse sibi jura immerito arrogans, dicta sit אַכְזִיב (recentiore tempore dicta a Graecis *Ecdippa*, et hodie آلزيب, vid. ROBINS. *Pal.* Tom. III, p. 883), id est *mendax*.

tores fuisse, quis credat? Samariâ funditus eversâ, vis eorum *tunc* fracta quidem, *invidia* vero eo vehementius incensa est. Quae quomodo eos instigaverit, ut datâ occasione, de injuriis illatis vindictam sumerent, Ptolemaïdis testetur obsidio, quae Alexandro Jannaeo graves molestias creavit (1). Nec raro ejusmodi Judaeis nocendi opportunitas iis temporibus Samaritanis oblata est, sive bella cogitamus, quae Judaei tunc cum Exteris gesserunt, sive discordias, in regiâ ipsorum familiâ vulgo furentes, ac turbas, a Sectis judaïcis excitatas. His enervatae et quassatae Reip. judaïcae potentia subito labefactata, ac nominis Maccabaïci celebritas post Johannem Hyrcanum brevi obscurata est. Bella non modo suscepta sunt, ad Gentes *subigendas* (2), sed etiam ad subactas *coërcendas*, et *clades ante acceptas reparandas* (3). Non semper enim victricia erant Maccabaeorum arma. Funditur Alexander Jannaeus ab Arabibus, et prope Sichemum a Demetrio Eucaero (4). Nec mirum! A Pharisaeis hic invocatus, et ab his in Alexandro debellando strenue adjutus erat. Alexander vero suis merito diffidens, copias peregrinas, ex Pisidiâ et Ciliciâ collectas, conduxerat (5). Ea ergo Civitatis judaïcae eo jam regnante conditio erat, ut, nisi Regnum Seleucidarum et Ptolemaeorum adeo extenuatum fuisset, in bellis cum his obortis illa sine dubio succubuisset. Non diu tamen Judaeorum Civitas, tabe internâ in dies magis attrita, incolumis servari potuit. Pharisaeis, sub Alexandrâ, Alexandri Jannaei Viduâ (79—71), principatum obtinentibus, inferiores Sadducaeorum partes resistere non desierunt. Duce Aristobulo II (71—63) hae quoque, Hyrcano fugato, Pharisaeorum insaniam coërcent. Hi victi Antipatrum, nobilem Idumaeum socium sibi assumunt. Ac jam Aristobulus, ab Aretâ, ad quem confugerat Hyrcanus, et a Pharisaeis in summas angustias Hiërosolymis redactus, Romanorum, sub Scauro et Gabinio Syriam tunc occupantium, auxilium implorat. Pompejum, mox Damasci degentem, ut res Orientis moderaretur, Pharisaei primum adeunt, deinde etiam Aristobulus. In lite componendâ Pompejus primum cunctatur sagaciter. Tandem vero Antipatri astutiâ Pharisaei superiores evadunt. Aristobulo Romam abducto, Hyrcanus *Judaeae* Pontifex et Princeps creatur: ac *reliquâ* Palaestinae *parte* Syriae Provinciae adjectâ (6), Samaritani *Romanis* subjiciuntur.

Samaritanorum status sub Judaeorum principatu, deficientibus disertis testimoniis, *sigillatim* describi nequit. Ex Josephi de eo tempore relationibus, *universe* tantum de eo judicare licet. Judaei Samaritidis *urbes praecipuas* ac *loca quaeque situ mu-*

(1) Joseph. *Ant.* XIII. 12, 13.
(2) Aristobulus I (107—106) v. c. *Ituraeos* subjecit (Joseph. l. l. XIII. 11).
(3) Bellum v. g. Alexandri Jannaei (106—79) cum Areta (Joseph. l. l. XIII. 15. 2).
(4) Joseph. l. l. XIII. 13. 5, et 14. 1.
(5) Joseph. l. l. XIII. 13. 5.
(6) Joseph. l. l. XIII. 16, et XIV. 1—4.

*nita* tenere studebant (1); *rure* non magna vulgo erat ipsorum auctoritas. *Urbium* praesidia si valida semper fuissent, haec tractuum circumjacentium incolas graviter vexare potuissent, an vero ea plerumque suffecerint ad urbes coërcendas, ac remotiores ruricolas coërcendos, dubitamus. Gravem profecto metum ipsa his non incusserint, quum Judaeorum Resp., bellis gerendis detenta, ac civilibus discordiis dilacerata, res domesticas curare satis haberet. Exercitus porro transeuntes, et proelia commissa, Samaritanorum Terram interdum certo devastarunt. Partium contra judaïcarum certamen Samaritanis sine dubio profuit. Pharisaeos acerrimos hi quidem adversarios habebant, at ii etiam in mediis calamitatibus publicis, quibus ipsi premebantur, pluribus negotiis erant obruti, quam ut Samaritanos semper attenderent magnopere. A Sadducaeis, qui, ut multi Samaritani, antiquis placitis tenaciter addicti erant, hi boni quid sibi sperare poterant, quin Sadducaeorum rationes politicae Sectae Sadducaeorum vindicibus, Alexandro Jannaeo et Aristobulo II, suaserint, ut Samaritanis faverent. Nam hi principes, si non magnam fidem habuerint *Peregrinis*, Samaritidem incolentibus, et Samaritanis, qui *Graecorum Cultum profiterentur*, vel *ab eo non prorsus essent alieni*, — quippe quorum major pars, quod Ptolemaïdis obsidio testetur, sive cum communibus Gentis judaïcae hostibus conspirabat, sive ad ipsorum partes inclinabat, — fidem eo lubentius tribuerint iis, qui Cultum mosaïcum amplecterentur. Hos ergo, ut diximus, Vallem sichemiticam iis temporibus iterum adiisse, et Sadducaeis haud improbantibus, incolis rursus frequentasse, verisimile est.

Samaritani igitur eâ aetate, quâ Romanis subjiciebantur, ex cladibus ante acceptis sensim quodammodo convaluerant (2). Ex *Samariae* urbis sorte id item apparet. Hanc Aulus Gabinius cum aliis urbibus in *urbis munitae* formam quidem restituit (3), verum ante ejus adventum ab ipsis Samaritanis restaurata, atque a Judaeis praesidio etiam instructa fuerat. Pompejus hanc aliasque urbes Judaeis eripuit (4). Nomen *Γαβινιόπολις*, a Gabinio ipsi inditum, invalescente novo nomine (*Σεβαστή*), ab Herode magno, ut Caesari adularetur, huic urbi tributo, brevi obsoletum est (5).

Romani has urbes restituentes sive munientes, ac pristinos incolas eo revocantes, et alios aliunde allicientes, Castella contra, quae Seditiosis tutum praebebant refugium, diruebant (6). Ac prudenter sane sic ii agebant. Urbibus iis nempe restitutis, tum Sa-

(1) Joseph. l.l. XIII. 15. 4. De Palaestinae conditione, regnante Dynastià Hasmonaeorum, ac de Veterum de ipsius rebus gestis judicio, vid. Bertheau, l.l. p. 434 seq.

(2) De magno incolarum numero, quo Palaestina iis temporibus frequentata erat, et de mercaturâ, agriculturâ, artiumque et disciplinarum studio, tunc ibi florentibus, vid. Bertheau l.l. p. 431 seqq.

(3) Joseph. l.l. XIV, 5, 3, coll. 4. 4, et *de Bello Jud.* I. 8. 4.

(4) Joseph. *de B. J.* I, 7, 7.

(5) Cellar. *Collect.*, p. 4, et *Exercit.*, p. 8.

(6) Joseph. *Antt.* XIV, 5, 4; *de B. J.* I. 8. 5. Bertheau, l.l. p. 437.

maritanorum gratiam inibant, tum munimenta sibi ipsi parabant, quae Hiërosolymis haud procul distabant, et aptissima profecto erant ad praesidia recipienda, quae, quamdiu abessent Legiones, *Romani nominis* dignitatem tuerentur.

Nec uno tantum nomine Romanorum imperium Palaestinae salutare fuit. *Rem* ii *judiciariam* v. c. ibi emendarunt. Judaeis enim in 5 urbibus, Hiërosolymis, Gadarae, Amathunte, Hiërichunte, et Sepphori, Synedria instituta sunt, quorum causae agendae Senioribus (*τοῖς ἀρίστοις*) commissae erant (1). Pariter deinde atque illis, Samaritanis certo permissum erat *Sacra* celebrare, quod item ex Joh. IV. 20—22 statuere licet. Aliane Privilegia Romani Samaritanis largiti sint, ignoramus. Ex JOSEPHO colligas, suum eos quoque aliquando habuisse *Senatum*, cui, si a Romanorum Magistratibus ipsorum jura violarentur, Populi causam vindicare mandatum fuerit. Querelas nempe de clade, quam Pilatus Procurator Samaritanis intulerat, *Σαμαρέων ἡ βουλὴ* ad Vitellium, Syriae Proconsulem pertulisse dicitur (2). Ut denique Hyrcano, ita iis etiam Palaestinae partibus, quae Syriae provinciae adjungebantur, *tributum* imponebatur.

Haec, utut sapienter sic a Romanis statuta, cavere tamen non potuerunt, quominus externa Palaestinae conditio, annis mox sequentibus miserrima esset. Vexationes quam graves fuerint, e solo Crassi exemplo manifestum (3), qui Gabinio in Syriae administratione successerat. Bellorum insuper saevissimorum theatrum Palaestina mansit. Partes, quibus praefuerat Aristobulus II, Pompejus fugaverat quidem, non vero devicerat. Hinc tumultus perpetui, ab Alexandro, Aristobuli filio, et a Patre Alexandro, quorum ille Pompeji manibus, hic Româ elapsus erat, commoti (4). Crevit istorum audacia, quum Caesar his juvandis, Pompeji causam perdere decrevisset (5). Acerbissimum vero iidem hostem habebant Antipatrum. Hic enim nomine Hyrcani agens, et ut primum Pompeji, sic postea Caesaris gratiam callide captans, sua ipse commoda tantum promovebat, quae res eum exitum habuit, ut anno 48, Hyrcano in *Pontificatu* confirmato, Antipater Judaeae *Procurator* (*ἐπίτροπος*) constitueretur (6). A Romanis adeo benigne habitus, Antipater de Optimatum Judaeorum invidiâ parum erat sollicitus. Neque aliter se gessit Herodes, Filius. A Patre Galilaeae, a Romanis deinde Coelesyriae praepositus, hic Synedrii auctoritatem deridet (7). Patre veneno per Malichum sublato, a Cassio primum, mox ab Antonio honoribus cumulatur, Antigonum, Aristobuli filium superstitem, profligat, neptique Hyrcani, Mariamne, ductâ uxore, irritisque redditis accusationibus, a Judaeis adversus ipsum ad

(1) JOSEPH. *Antt.* XIV. 5. 4; *de B. J.* I. 8. 5.
(2) JOSEPH. *Antt.* XVIII. 4, 2.
(3) JOSEPH. *Antt.* XIV, 7; *de B. J.* I. 8. 8.
(4) JOSEPH. *Antt.* XIV, 5 et 6; *de B. J.* I, 8, 2.
(5) JOSEPH. *de B. J.* I. 9. 1.
(6) *Antt.* XIV, 8; *de B. J.* 1. 10. 3. BERTHEAU, p. 439.
(7) *Antt.* XIV. 9; *de B. J.* I. 10. 4—9.

Antonium delatis, viam sibi ad principatum munit (1).

In perpetuâ hacce rerum commutatione, Pharisaei saevire non desierunt; quorum odium in Romanos quamvis in dies augeretur, eorumdem tamen auxilio, ad Antipatrum ejusque Filios perdendos iidem tamen lubenter usi fuissent, nisi ipsorum consilia irrita reddidisset major Gentis Herodianae calliditas. Quae qualis fuerit, exinde cognoscitur, quod multis licet turbis jactaretur Romana Resp., haec tamen partium superiorum gratiam magnâ cum dexteritate, ac felici successu, semper sibi conciliabat.

In rerum conditione adeo incertâ et fluctuante, nulla vulgo in Palaestinâ vitae bonorumque erat securitas. Praedas per terram libere agebant Latronum catervae, quibus tamen debellandis et dispergendis Herodes egregie meruit (2). Accedebant insuper aliae calamitates, terrae motus, pestis, et fames (3).

Praeterea, ac si Judaeorum domestica dissidia, atque atrocia ista latrocinia, et Romanorum bella nondum suffecissent malis publicis exaggerandis, *Parthorum* agmina Palaestinam invadebant, ab Antigono, quibus regnum recuperaret, excitata. Captis a Parthis anno 39° Hiërosolymis, Hyrcanus abducitur, aufugit Herodes, Antigonus imperium recepit. At per breve tempus. Herodes, Romae Rex creatus, Palaestinâ iterum subjectâ, Hiërosolyma anno 37° rursus expugnat (4).

De Samaritanorum iis temporibus vicissitudinibus rebusque gestis, vix aliquid innotuit. Solummodo novimus, Herodem, Patre mortuo, Samariae seditionem, quae quam ob causam orta esset, latet, compescuisse. *Καὶ*, inquit Josephus (5), *παραγενομένος Ἡρώδης εἰς Σαμάρειαν, καὶ καταλαβὼν αὐτὴν κεκακωμένην, ἀνεκτᾶτο καὶ τὰ νείκη διέλυσε τοῖς ἀνθρώποις*. Nec plura *haec* docent (6): *τραπεὶς δ'ἐπὶ Σαμάρειαν, στάσει τεταραγμένην, κατεστήσατο τὴν πόλιν*. Huic urbi Herodes postea, licet post Antigoni reditum non cuncti Samaritani Herodi faverent (7), omnem fiduciam habuit (8).

Quae de Cleopatrae, Aegypti Reginae (quae Ptolemaei Auletae filia, ac Ptolemaei Dionysi soror erat) benevolentiâ, quâ Samaritanos amplexa sit, Abū'l-Fatḥus in Chronico tradidit (9), ab aliis Scriptoribus non confirmantur. Sepositis insertis fabulis et erroribus, veri tamen quid in ipsius dictis lateat. Teneamus modo, Samaritanos intelligi *aegyptios*, quos Cleopatrae filius (?) contra Judaeorum impetus tuitus sit. Causae, quibus effectum

---

(1) *Antt.* XIV. 11—14; *de B.J.* I, 11, 12, 14.

(2) *Antt.* XIV. 15; *de B.J.* I. 15, 16.

(3) *Antt.* XV. 5. 2, 7. 7. et c. 9.

(4) *Antt.* XIV. 13—16; *de B.J.* I. 13—18.

(5) *Antt.* XIV. 11. 4.

(6) *De B.J.* I. 11. 6.

(7) *Antt.* XIV. 13. 3, 15. 1 et 12; *de B.J.* I. 13. I, 15. 3, 17. 5.

(8) *Antt.* XIV. 15. 3 et 4; *de B.J.* I. 15. 6 et 16. 1.

(9) *N. Repert.* I, p. 150 seq.

sit, ut Regina ita ageret, cogitari possunt, sive statuas, Samaritanos *palaestinenses* Cleopatrae, ex Aegypto a Fratre pulsae, et exercitum in Syriâ et Palaestinâ colligenti, opem tulisse (1), sive potius Samaritanos *aegyptios* eidem atque Caesari, Alexandriae in angustias redactis, auxilium praestitisse (2). Judaeos ipsi, nec sine causâ, exosos fuisse, constat. Judaei nimirum *aegyptii* cum ejus Adversariis primum faciebant, non cum Sociis Romanorum (3). Quid Judaei postea egerint, non liquet. Hos vero pari modo atque Palaestinenses odio Romanos prosecutos esse, et Cleopatrae, his deditissimo, infensos fuisse, credibile est (4). Multiplex porro iras continuas Cleopatram inter et Judaeos excitandi opportunitas ab *eo* tempore exstitit, quo Regina domesticis familiae Herodianae dissensionibus immiscebatur (5), eademque, imperium proferre semper gestiens, Judaeae et Arabiae partem, in detrimentum Herodis, ab Antonio acceperat (6).

Bellis civilibus inter Romanos compositis, laetior Palaestinae dies exortus est. Quod beneficium, auctore potissimum Herode, qui rerum ibi tunc gestarum magna pars fuit, ei Terrae contigit. Is, Latronibus debellatis, atque ipsius inimicis partim mortuis, partim profligatis, Augusti favore fruens, *totius* Palaestinae imperium adeptus est (7). Et hoc tenens, si nefanda seponis facinora, ad quae patranda invitus primum ferebatur, prudentem plerumque se gessit. Malevolos coërcuit, et seditiones praevertit; et constans licet, ac propositi tenax, vigentes tamen opiniones reveritus, ac communi omnium desiderio, quantum fieri posset, obsecutus est. Quae quum ageret, ac publicas calamitates sublevaret (8), ét Samaritanorum, ét Judaeorum, qui ab eo, Peregrino quippe, olim prorsus abalienati erant, benignitatem sibi conciliare studuit. Hanc vero etiam sibi parare conatus est, harum Gentium prosperitatem promovendâ. Aedificia pulchra, superba, magnifica, variis locis exstruxit, et urbes sive condidit, ac restauravit, sive amplificavit, et ornavit. Quâ re simul Regni splendorem auxit, suaeque famae ipse consuluit, ac saluti publicae non minus, quam imperii securitati prospexit. Praeter alias urbes (9), *Caesarea* potissimum in censum venit, quam eo loco, ubi ante *Turris* erat *Stratonis*, condidit, ac Portu, et Templo ornavit (10). Deinde *Samaria*, a Gabinio jam restaurata, quam ille in Augusti honorem Σεβαστὴν nuncupavit, quod nomen, postea quippe *Sebasten Palaestinae*, sive *Syriae*, sive etiam *Sebastopolin* vocata, in perpetuum retinuit. Urbs ab Herode dilatata et moenibus instructa est, quorum ambitus

---

(1) Prideaux l. l. II, p. 694, Heeren *Handb.*, p. 313.
(2) Prideaux l. l. II, p. 699 seqq.
(3) Joseph. *de B. J.* I. 9. 3 et 4; *Antt.* XIV. 8. 1 et 2.
(4) Joseph. *contra Apion.* II. 5.
(5) *Antt.* XV. 2. 5, et 3. 2 et 5.
(6) Ibid. XV. 4.
(7) *Antt.* XV. 7. 3; *de B. J.* I. 20. 3.
(8) *Antt.* XV. 9.
(9) *Antt.* XVI. 5. 2.
(10) *Antt.* XV. 9. 6.

20 erat stadiorum. Incolarum numerum praeterea auxit, partim Coloniâ 6000 virorum, partim terrae Indigenis, illuc transferendis. Mediâ urbe, in foro, sive in spatio sacro, varie ornato undique, 1½ stadiorum, Templum posuit Augusto magnificum et pulcherrimum. Reliquam urbis partem aliis decoravit ornamentis (1), quorum tum alia indicia, tum maxime rudera Porticûs ingentis, cum dicto Templo olim fortasse conjunctae, in meridionali Montis latere hodieque supersunt, quae nostrâ etiam aetate Itineratores in admirationem adducunt (2), adeo ut JOSEPHUS jure testatus esse videatur, celeberrimis urbibus Samariam non cessisse (3). In hac Urbe Herodes saepe degebat, ibique etiam in gravem morbum aliquando incidit (4). Hanc autem urbem, ut jure idem opinatus est JOSEPHUS, Herodes non modo suam in gratiam, ut voluptatis oblectamentique sensui obsequeretur, ita exhilaravit, sed etiam adeo munivit, ut imperium ac semet ipsum tutum redderet, si Samaritani aut Judaei res novas molirentur. Naturâ jam munitissima, sic a neutrâ Gente capi, mediâque in Samaritide sita, *illos* coërcere poterat, atque unius diei itinere Hiërosolymis distans, ad *Judaeos* quoque debellandos locus erat perquam opportunus. *Arcis* ergo *Antoniae* mentione factâ, sic JOSEPHUS pergit (5), *παντὶ τῷ λαῷ τὴν Σαμάρειαν ἐπενόησεν ἐπὶ τείχισμα, καλέσας μὲν αὐτὴν Σεβαστὴν, οἰομένος δὲ κατὰ τῆς χώρας γίνεσθαι τοῦτο οὐδὲν ἔλαττον, ἰσχυροποιεῖ τὸν τόπον, ἀπέχοντα μὲν Ἱεροσολύμων μιᾶς ὁδὸν ἡμέρας, εὔχρηστον δ'ὄντα καὶ κοινὸν ἐπί τε τοῖς ἐν τῇ χώρᾳ καὶ τῇ πόλει γινησομένον.* Lapsus est ABŪ'L-FARAG*ius* (6), contendens Herodem *Neapolin* restituisse, quod exinde in primis elucet, quod Samariam cum Neapoli ante confudit (7).

Herodes ut urbibus condendis et amplificandis, ac publicis, quae *omnium* utilitatibus inservirent, monumentis ibi constituendis, apud omnes, qui in iis habitarent gratiam iniit, ita aliis item ac variis modis Exteros, et omnes, quotquot ipsorum Mores et Cultus placerent, devincire studuit. *Ludos* cogito, quos introduxit, ac Theatra, cujusmodi in ipsâ Hiërosolymorum urbe exstruxit (8). *Templa* accedunt, tum Samariae, tum alibi, et vero ad fontes Jordanis, in locis antiquitus foedâ superstitione famosis (9) aedificata, ac Dona, quae ad urbes non paucas, quae a Palaestinâ procul erant remotae, decorandas et exhilarandas, quin ad *Sacraria* etiam ibi restauranda (10), immensâ ac vere regiâ libera-

(1) *Antt.* XV. 8. 5; *de B. J.* I. 21. 2.

(2) Vid. K. VON RAUMER *Palaestina*, 2e Ausg. Leipz. 1838, p. 758. In primis ROBINSON *Palaestina* III Bd., p. 372 seq., et 375 seq.

(3) *Antt.* XV. 8. 5.

(4) *Antt.* XV. 7. 7.

(5) *Antt.* XV. 8. 5.

(6) *Hist. Dyn.* p. 109.

(7) Ibid. p. 103, ubi traditur Hyrcanus devastasse *Samariam*, *quae est Neapolis* (شمرين وهى نابلس).

(8) *Antt.* XV. 8. 1; coll. XVI. 5. 1, et XVII. 6.

(9) *Antt.* XV. 10. 3.

(10) *De B. J.* I. 21. 11 et 12; *Antt.* XVI. 5. 3.

litate misit. Haec autem, quia permultos, ac Judaeos maxime, et Samaritanos, qui Proavorum Moribus ac Religioni mosaïcae addicti erant, graviter offendebant, Rex, *omnium* quippe benevolentiam sectans, aliis *ipsos* beneficiis sibi benignos reddere conabatur. *Judaeorum* variis desideriis succurrit. Vestitu pontificali in Arce Antoniâ prudenter depositâ (1), Rex creatus, sacerdotalem dignitatem aliis gerendam commisit, primum *Ananelo* (2); quem, quum vidisset populo ingratum esse, movit, et *Aristobulum*, eoque interfecto, alios ejus loco substituit. Agebat nempe prouti rationes politicae suadebant (3), at licentiâ tamen utebatur haud inauditâ (4). Insigne deinde beneficium, quo publicum Judaeorum Cultum ornavit, Templum fuit hiërosolymitanum, ac lauta sacrificia in hoc delata. Sortem porro Judaeorum, in aliis Terris degentium, per favorem et auctoritatem, quâ apud Romanos ipse fruebatur, meliorem reddidit, eorumque jura tuitus est (5); quibus hoc denique annumerandum est, quod urbem in Trachonitide condidit, non modo ut Trachonum latrocinia cohiberet, sed etiam ut Judaeorum, ex Babyloniâ Hiërosolyma peregrinantium, securitati consuleret (6).

Haec in *Gentilium* et *Judaeorum* gratiam agens, *Samaritanos* etiam, *Cultum mosaïcum* sequentes, Herodes non prorsus neglexisse videtur. Templum tamen in Monte garizimitano non restitutum est, cujus restituendi veniam iidem fortasse, irritum nempe hoc fore opinantes, ne petebant quidem, aut petentes repulsam certo patiebantur. Rex enim si hoc concessisset, Judaeos lacessivisset, quorum iram provocare, gravius ipsi visum sit, quam *horum* Samaritanorum, qui ét numero ét auctoritate Judaeis multo inferiores erant, benevolentiâ uti. Constat nimirum, Herodem in rebus publicis moderandis, rationibus ductum fuisse, a vero Religionis sensu longe remotis, qui, si umquam eo imbutus fuerit, superbiâ ac dominandi furore in dies magis magisque extenuatus est. Satis ergo se fecisse opinatus sit, si Sacra in Monte garizimitano peragere Samaritanis permisisset. Et hoc beneficio, ut ex Joh. IV conspicuum est, *deinde* vivo J. C. reverâ ipsi utebantur, neque a Judaeis, ullis in Cultu celebrando molestiis affecti esse videntur. Iisdem pariter atque Judaeis insuper concessum fuerit, *Coetûs* ac *Synagogas* condere *in urbibus*, *Herodis imperio subjectis*, in quarum nobilissimis Samaritani postea, rebus turbatis, magnas partes egerunt.

De *beneficiis* tamen, qualibuscunque tandem, quae Samaritani ab Herode acceperint, Josuae Liber ne verbo quidem monuit: contrarium vero perhibetur in Chronico Abû'l-

---

(1) *Antt.* XVIII. 4. 3, coll. XX. 1. 1.
(2) *Antt.* XV. 2. 4, et 3. 1.
(3) *Antt.* XV. 3. 1. et 9. 3, XVII. 6. 4.
(4) l. l. XV. 3. 1.
(5) *Antt.* XVI. 2. 5, et Cap. 6.
(6) l. l. XVII. 2. 1. Iudicium de Herode tulit Bertheau l. l. p. 441 seqq.

PATHI, tradentis, *complures, tum Samaritanorum tum Judaeorum, Herodem interfecisse, et in summas angustias redegisse* (1). Quae quamvis, quod Samaritanos attinet, a JOSEPHO non memorentur, verissima tamen sint. Herodes haec fortasse patravit, ut vindictam sumeret de iis, qui sive Antigono, sive Cleopatrae (2), sive aliis ipsius adversariis, favissent.

Mortuo Herode, Filius Archeläus, *Ethnarchae* titulo, Idumaeae, Judaeae, et Samariae imperio ab Augusto donatus est, hac conditione, ut quartum tributorum partem Samaritanis remitteret, quia hi seditionum, a Judaeis post Herodis obitum agitatarum, participes non fuerant (3).

Archeläus promissis non stetit. Itaque a Samaritanis et Judaeis, quos crudeliter tractaverat, accusatus, Romam vocatus, et Viennam in exsilium missus, ac terris ipsius, a Cyrenio in Provinciae romanae formam redactis, *Procurator* (*ἐπίτροπος*, *ἔπαρχος*) praepositus est; cujus igitur ditio (*ἐπαρχία*) Judaeam, Samariam et Idumaeam complectebatur. Primus hoc Munere functus est *Coponius*, plenâ potestate, ut videtur, si urgeret necessitas, instructus (4). Sequentium, *M. Ambivii*, *Annii Rufi*, *Valerii Grati*, *Pilati* certe, huic succedentis (5), auctoritas, Syriae Praefecti, Antiochiae degentis (6), mandatis submissa fuit. Vitellio nimirum jubente, Pilatus Romam se contulit; *ταῖς Οὐϊτελλίου*, ut ait JOSEPHUS (7), *πειθόμενος ἐντολαῖς, οὐκ ὂν ἀντειπεῖν*. Habitabat Procurator Caesareae (8), quae urbs huic consilio aliis sane aptior erat. Magno licet Judaeorum (9), et Samaritanorum numero frequentata, propter Exterorum tamen, ibi vel semper habitantium, vel aliquamdiu commorantium, insignem numerum, Indigenarum hic minor erat, quam aliis in locis efficacia, quae Hierosolymis sane summa semper fuit, et Samariae etiam major Romanis visa sit. Hanc saltem urbem si Procuratoris sedem elegissent, arctiorem cum Samaritanis contraxissent necessitudinem, Judaeis perquam ingratam, quorum invidiam sine causâ Romani excitare nolebant. Eum praeterea locum certe ipsi ceteris omnibus praetulerunt, quia ejus cum Italiâ, et reliquis Imperii partibus, commercium ab Indigenis non interrumpi, quia auxilia eo semper mitti, quia denique romani Nominis dignitatem

---

(1) Vid. SCHNURRER in *N. Repert.* I, p. 152 et 154.

(2) Vid. supra p. 110 seq.

(3) *De B. J.* II. 5. 1, et 6. 3; *Antt.* XVII. 10. 9, et 11. 4. De seditionibus, tunc motis, sanguinolentis, ac Palaestinam graviter iterum affligentibus, vidd. *de B. J.* II. 1. 5, et *Antt.* XVII. 9 et 10. Vid. etiam BERTHEAU p. 444. et quod *Idumaeam* attinet, ibid. p. 429 in notâ.

(4) JOSEPHUS (*Antt.* XVIII. 1, 1, coll. *de B. J.* II. 8. 1) his utitur verbis: *ἡγησόμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ.* De *Procuratoribus* vid. BERTHEAU. l. l. p. 444.

(5) De iis vidd. *Antt.* XVIII. 3. 2, et *de B. J.* II. 9. 2.

(6) *Antt.* XVII. 9. 3, et 10. 1.

(7) *Antt.* XVIII. 4. 2.

(8) *Antt.* XVIII. 3. 1.

(9) *Antt.* XX. 8. 7. et 9, et *de B. J.* II. 13. 7.

ibidem tueri simul, et variarum Palaestinae Gentium res sine partium studii specie administrare poterant.

Samaritani Romanorum imperio, ut ante Persarum et Graecorum, melius quam Judaei, se composuerunt. Sepositis nempe Rusticis ac Montis sacri Accolis, a Proavorum consuetudine non recedentibus, major Populi pars, urbes habitans, et Graecos fere referens, suâ sponte propensa erat ad morem Romanis quoque gerendum. Quod Procuratores, qui, Caesareae degentes, frequentius cum iis, quam cum Judaeis habebant commercium, sane movit, ut nisi privatae intercederent rationes, iis magis quam Judaeis essent benigni. Praeterea si vel non exstitisset inveterata ista et implacabilis eos inter et Judaeos simultas, quae eâ item aetate quam maxime saeviebat, aliam etiam ob causam Romanorum imperium, cujus beneficiis, non contemnendis, fruebantur, Samaritanis gratum fuisset. Res volo judaïcas, quae raro salvae, tunc vero in dies magis turbatae, ac tales erant, ut cuique de suâ salute sollicito, vehementer displicerent.

In hac Samaritanorum *eo tempore* in Romanos propensione, non mirum est, majorem partem exercituum Romanorum, in Palaestinâ militantium, *Caesariensibus* et *Sebastenis*, sive *Caesareae* et *Samariae* incolis constitisse (1). Exemplum porro, indicans quam fiduciam Samaritanis Romani habuerint, praebet Cestii Galli, Syriae Praesidis agendi ratio, *Neapolitanum Chiliarcham* ad Agrippam Juniorem, Legatum mittentis, qui cum eo in Gessii Flori res, in Judaeâ gestas, inquireret (2).

Specimen odii Judaeos inter et Samaritanos ejus temporis, Judaeorum offert criminatio, Samaritanos, Procuratore Coponio, Templum hierosolymitanum ossibus humanis, per Porticûs et Locum sacrum universum dispergendis, polluisse (3). Recte Coponius haec non attendit. Cujus prudentiae exemplum si in suos usus convertissent, ac sic moderatius egissent, Pilatus et Cumanus, suis sane, et Palaestinensium rebus, ii melius prospexissent. Duos tristes casûs intelligo, quorum alter ostendit, quo fervore fanatico multi etiam Samaritani eo tempore in Religionem avitam ferrentur; alter, quem deinde memorabimus, non Judaeorum modo hostilem in Samaritanos animum, sed et Samaritanos paratos depingit, ad illatarum injuriarum vindictam Romanis committendam, quo facto fidenter speraverint, fore ut severos etiam juris sui vindices ipsos haberent.

Ferebatur, — hicce enim prior est casus, quem supra dixi, — ferebatur inter Samaritanos traditio, in Libro Josuae item servata, sacram, quâ Tabernaculum olim instructum fuisset, suppellectilem in Monte garizimitano reconditam fuisse; locum vero, ubi ea deposita esset, prorsus esse ignotum. Anno autem 36° post C. n. Samaritanus quidam prodiit, affirmans, se speluncam, ubi ea lateret suppellex, indicaturum esse. Magnum hic

---

(1) *Antt.* XX. 8. 7; *de B. J.* II. 13. 7.
(2) *De B. J.* II. 16.
(3) *Antt.* XVIII. 3. 2.

sociorum numerum adsciscit, multa pollicitus, spe fortasse excitatâ, fore ut, thesauro reperto, Templum denuo exstrueretur, ac sic suus Sacris honos tandem restitueretur. Verum a Monte sacro, quum illuc pervenissent, a Pilato, qui, re cognitâ, viam copiis praecluserat, abarcentur. Proelio commisso, multi, iique nobiles Viri, occiduntur, fugantur reliqui. Tumultu sedato, querelas de hac caede Senatus Samaritanorum ad Vitellium defert, eo eventu, ut Pilatus Romam, unde in Palaestinam numquam rediit, petere cogeretur (1), et ipsi sufficeretur *Marullus* (2).

Pilato Romam veniente, Tiberius jam mortuus erat, et huic successerat Cajus Caesar, Agrippae, Herodis magni nepotis, qui Romae detinebatur, patronus insignis (3). Primum Cajus Agrippam Tetrarchiâ Philippi, filii Herodis m., quae partem complectebatur Galilaeae et Trachonitidis, anno 37° donabat, ac *Regis* titulo simul ornabat; anno vero 40° idem iis terris addebat ditionem Herodis Antipae, Philippi fratris, quae reliquâ Galilaeâ et Trachonitide atque Peraeâ et Ituraeâ continebatur; ac proximo anno his adjiciebat Claudius Judaeam, Samariam, et priscam Lysaniae Tetrarchiam (4); quo facto omne Avi regnum Agrippa obtinuerat. Huic tamen per triennium modo imperavit, mortuus Caesareae anno 44° (5). JOSEPHUS summis ipsum laudibus celebravit (6). *Judaeorum* scilicet benevolentiam variis modis sibi conciliare conatus erat. Quod quum ipsi cederet, reliquorum tamen Palaestinae incolarum gratiam non assequebatur. Caesarienses saltem, et Sebasteni, sive copiae in Palaestinâ militantes, suam de ejus morte laetitiam non dissimulabant, imo memoriam defuncti turpissimis opprobriis contaminare, ac filias ipsius acerbis contumeliis afficere, non dubitabant (7). Nimirum 3 filias reliquit, *Berenicen*, *Mariamnen*, *Drusillam*, ac filium *Agrippam*, juniorem tamen, quam ut Regno paterno praefici posset. Quod ergo ἐπαρχίας nomine Ἐπιτρόπου curae committebatur, primum *Cuspii Fadi*, mox *Tiberii Alexandri*, deinde *Cumani* (8).

Cumano Procuratore, alter casus accidit, quem verbo supra indicavi. Res, quae a JOSEPHO bis, ac variis modis narrata est (9), talis fere fuerit. Judaei Galilaei, festum in Hiërosolymorum urbe celebraturi, quum suo more per Samaritidem tenderent, lis orta est eos inter et Ginaeos, vici cujusdam, in Galilaeae et Samaritidis finibus siti, incolas (10),

(1) *Antt.* XVIII. 4. 1 et 2.
(2) *Antt.* XVIII. 6. 10; coll. XIX. 5. 1.
(3) *Antt.* XVIII. 5—7.
(4) *Antt.* XIX. 5. 1; *de B. J.* II. 11. 5 et 6.
(5) *Antt.* XIX. 8.
(6) *Antt.* XIX. 7. 3. De eo vid. etiam BERTHEAU l. l. p. 446 seq.
(7) *Antt.* XIX. 9. 1.
(8) *Antt.* XIX. 9. 2, et XX. 1. 1, et 5. 2; *de B. J.* II. 11. 6, et 12. 1.
(9) *Antt.* XX. 6, et *de B. J.* II. 12. 3—7.
10) Eum vicum, haud diversum ab *En-gannim*, in tribu Issascharis (Jos. XIX. 21), JOSEPHUS etiam memoravit *de B. J.* III. 3. 4. De eo vidd. CLARKII dicta ap. T. R. JOLIFFE *Reis in Palestina, Syrië en Egypte*, vers. vern. 1822. 8° I, p. 105 seq., et ROBINSON *Palaestina* III, p. 385 seq.

Uno ex Galilaeis occiso, Galilaeorum Primores Cumanum adierunt, ut in caedis auctores animadverteret. Sed frustra. Nam ipsum Samaritani datâ pecuniâ corruperant. Quod quum innotesceret, Galilaei, undecunque confluentes, irruerunt in Samaritanos. Multis utrinque caesis, Samaritani, certiores insuper facti, Judaeorum agmina ad ultionem sumendam Hiërosolymis ex mediâ festivitate profecta esse, ad Cumanum se convertunt. Hic, copiis collectis, et assumtâ Sebastenorum alâ, ac Samaritanis, quos armaverat, secum conjunctis, Judaeos aggreditur. Hi clade affecti, et a Judaeorum Principibus commonefacti, recedunt. Haud pauci tamen, una congregati, mox latronum more praedas agere incipiunt, vicos Samaritanorum diripientes, et incendio delentes. Quae quum Samaritani amplius ferre non possent, ad Ummidium Quadratum, Syriae Praesidem accedunt, qui, re pervestigatâ, nobiles utriusque Gentis Viros cum Cumano Romam dimittit, ubi, auctore Agrippâ juniore, Samaritani damnantur, et Procurator exsilio plectitur.

Cumano in Judaeae, Galilaeae, Samaritidis, et Peraeae gubernatione postea successerunt *Felix*, *Porcius Festus*, *Albinus*, et *Gessius Florus*. Agrippa junior sive II, primum ab anno 49°, Regno Chalcidensi praefuit; deinde ab 53° a Claudio ejus loco accepit Tetrarchiarum, quibus olim Philippus et Lysanias praepositi fuerant, imperium, iisque a Nerone Galilaeae et Peraeae pars addita est (1).

Felice Procuratore, Caesareae seditio Judaeos inter et reliquos cives, de jure civitatis litigantes, commota est, a quâ belli judaïci, jamdudum tamen ante praeparati, initium vulgo ducitur. Enim haec seditio eventum habuit, ut Judaei caesarienses jure civitatis privarentur. Quod quum hi indigne paterentur, et opprobriis, quibus a reliquis civibus afficiebantur, ad causam suam tuendam provocarentur, publicum bellum sub Gessio Floro exarsit. Hoc dum agebatur, omnes Judaei Caesareae, sive occisi, sive inde fugati sunt. Quibus auditis, Judaeae incolae Samaritidis urbes invaserunt, ac caedibus incendiisque eas impleverunt. Dirissima erat Scythopoli strages, ac inaudita fere crudelitas, quâ Judaei in Samaritanos, quin Judaei, *Judaeae incolae*, in Judaeos *exteros* saeviebant (2). Nihil tunc amplius cohibebat Latronum Sicariorumque rabiem, quam Florus insuper magis excitabat (3).

Furore fanatico Samaritanorum nonnullos eo etiam tempore correptos fuisse, testatur Josephus (4). Ut ante, Pilato Procuratore, ita quoque Vespasiano bellum gerente, Im-

(1) Joseph. *Antt.* XX. 7. 1, 8. 4 et 9; *de B. J.* II. 12. 8, 13. 2 et 14. 1 et 2.

(2) *Antt.* XX. 8. 7 et 9, *de B. J* II. 13. 7, 14. 4 seqq, 18. 1—3.

(3) *Antt.* XX. 8. 10, et 9. 3 et 5; *de B. J.* II. 13. 3. seqq., 14. 2, IV. 3 et 7, coll. VII. 10. 1. De Flori nequitiâ praeter locos laudatos vid. *Antt.* XX. 11. 1. Turbas hoc bello in Palaestinâ motas egregie descripsit Bertheau l. l. p. 447 seqq.

(4) *De B. J.* III. 7. 32.

postor quidam, stulte opinans, Romanis se resistere posse, aliquot Samaritanorum millia in Montem Garizimi duxit. Quo cognito, Cerealis Montem per unum diem copiis cinxit, quia, dum ipsae agmine isto inferiores erant, manus conserere nolebat. Obsessos igitur primum verbis monere conatus est. Sed frustra. Itaque in eos, fame et aquae inopiâ pressos, impetum fecit, et 11600 occidit.

Galilaeâ et Peraeâ subactis, Vespasianus cum exercitu per Samaritidem, transiens per Vallem Sichemi, in Judaeam perrexit (1). Eâdem viâ Titus mox incessit (2). Quae expeditiones, ad *Judaeos* subigendos tantum susceptae, Samaritanis haud gratae licet, minora tamen, quam aliae expeditiones, ante susceptae, incommoda creaverint, quoniam summus in exercituum Romanorum tam in itineribus quam in castris metandis ordo erat, quem, in Oriente quippe nondum observatum, JOSEPHUS item pluribus descripsit (3).

In perpaucas Samaritanorum urbes, hae expeditiones tantam, quantam in Sichemum, efficaciam habuerunt. Sichem nimirum, urbs *antiqua*, bene distinguatur, ut monuerunt item EUSEBIUS et HIËRONYMUS (4), ab urbe *recentiore*, cujus nomen est *Neapolis*. Illa Ebalem a septentrione, Garizimum a meridie habens (5), in *hujus* Montis declivitate condita, nomen acceperat שְׁכֶם (*bergrug*), ibique ROBINSONUS anno 1838 rudera invenit late patentia, et cisternas (6). Ab hac urbe non procul remotus erat *fons Jaqobi*, et *ager*, *quem Jaqobus emerat*. Puteum hic effodisse videtur, ut ROBINSONUS vere conjecit (7), ut significaret, agrum eum *suum* esse, et ut pastores ipsius, aquam haurire cupientes, ab aliorum arbitrio non penderent. Quod si statuitur, intelligimus, quam ob causam in planitie, multis fontibus irriguâ, puteus insuper *arte* paratus sit. *Ibi* urbem *antiquam* sitam fuisse, novimus ex Joh. IV. 5, 6, quae narratio, eâ sententiâ probatâ, simul illustratur. Fons nempe horam dimidiatam ab urbe *hodiernâ* remotus est, in cujus viciniâ alii fontes habentur. Hic ergo si Mulier samaritana habitasset, ipsi necesse non fuisset, ex loco tam longinquo aquam petere. Ac *vicinam* urbem fuisse, ex multis liquet. *Primo* J. C., ad fontem ipse manens, Discipulos, ut victum emerent, in urbem mittit (vs. 8), qui *brevi* redeunt (vs. 27). *Secundo*, postquam J. C. petierat a Muliere ut abiret, et cum Marito rediret (vs. 16), Mulier post *breve* etiam tempus cum aliis regreditur (vs. 30, et 32—42). Si quis vero miratur, fontem urbi *ita propinquum*, apparatu necessario non instructum esse, quo *omnium* usibus inserviret, adeo ut accedentibus *vas*

---

(1) *De B. J.* IV. 8. 1.

(2) Ibid. V. 2. 1. De reliquiis *Viae militaris*, a *Romanis* olim paratae, quae ex campo Esdrelonensi per Vallem neapolitanam Hiërosolyma tendebat, vid. ROBINSON. l. l. III, p. 294.

(3) Ibid. III, 5.

(4) Vidd. loci laudati a RELANDO *Palaestina*, p. 1004.

(5) JOSEPH. *Antt.* IV. 8. 44.

(6) ROBINSON *Pal.* III, p. 321.

(7) Ibid., p. 334.

ad aquam hauriendam secum ferre opus esset (vs. 11), is, ut Robinsonus acute observat (1), cogitet, alios fontes iis praesto esse; fontem vero Jaqobi, quia sacer haberetur, apparatu illo deditâ operâ fortasse destitutum fuisse, ne quis ejus aquâ abuteretur, ac potissimum, ut Peregrini, qui per Vallem transirent, ab ejus usu prohiberentur.

*Nova* urbs sita est in parte Vallis fertilissimâ, a septentrione urbis antiquae occidentem versus, qui locus, ubere terrae glebâ fruens, et fontibus rivulisque limpidis ornatus, adeo amoenus est, ut summis laudibus semper celebraretur (2), et Robinsonum nuper, postquam Vallem transierat, in admirationem raperet (3).

In his locis Romani, tum ut cohiberent hujus Vallis incolas, qui ad seditiones moliendas, ut hodie, ita olim (4) parati erant; tum ut sibimet ipsis instruerent armamentarium, ex quo Judaeorum motus contemplarentur, et horum tumultus coërcerent, novam urbem condiderunt, ortam, ut videtur, primum ex *castris* ibi positis, ac brevi auctam insigni hominum, Graecorum maxime et Romanorum, qui eo confluebant, numero. Vespasianum Coloniam eo deduxisse, quod Valesius contendit (5), a nullo quidem Scriptore traditur, sed, nisi migrationi in hunc tractum idem aliâ ratione faverit, probabile tamen est. *Coloniae* enim jura a Vespasiano ei Civitati data esse videntur: quae si non habuisset, jure Numos cudendi uti non potuisset (6), cujusmodi a Vespasiano inde ad Volusianum (250 post C. n.) feruntur (7). Numus, sub Philippo seniore (244—249) cusus, primus quidem gerit *Coloniae* titulum, qui deinde in omnibus *fere* sequentibus recurrit, et aliarum contra Palaestinensium urbium Numi idem Coloniae nomen *multo ante* gerunt; — Numi v. c. Ptolemaidis *a Tiberio inde* (8), et Caesareae, quorum Vespasianus Coloniam deduxisse diserte dicitur (9), Numus ex *Trajani* (10), quin ex *Titi* etiam aetate (11), Coloniae titulum jam habet—; sed ii ipsi nostram sententiam non subvertunt. Docent enim, ut Numi etiam neapolitani post Philippum seniorem cusi, *Coloniae* titulum semper memorare non necesse esse. Sic praeterea illustrantur dicta Spartiani. De vindictâ loquens, quam Septimius Severus (193—211) de adversariis sumsit, *Neapolitanis*, inquit cap. IX, *etiam Palaestinensi-*

---

(1) l. l. p. 334.

(2) Vid. Abû'lfada (ineunte seculo 14° scribens) *Tab. Syr.* p. 9. *Scatet*, inquit, *rivis manantibus:* et Cotovicus (1598—99), p. 341: *aquis*, ait, *vel maxime abundat*, *fontibus ubique per plateas viasque publicas passim scaturientibus.*

(3) l. l. p. 315 et 318.

(4) Burckhardt *Reisen in Syrien* II, p. 591, et Robinson III, p. 361 seq.

(5) Ad libr. IV Eusebii *H. E.* cap. 12.

(6) F. Munter *der Jüd. Krieg unter Trajan und Hadrian*, p. 41.

(7) De Numis neapolitanis conf. in primis Joseph. Eckhel *Doctrina Numorum Veterum* III, p. 433 seqq, et T E. Mionnet *Description de Médailles antiques* V, p 499 seqq.

(8) Mionnet l. l. p. 474.

(9) Rel. *Pal.* p. 671, 672, 675.

(10) Mionnet l. l. p. 487.

(11) Vaillant *Numismata Imperatorum* I, p. 135.

*bus jus civitatis* (1) *tulit* (id est: *abstulit*, *ademit*), *quod pro Nigro diu in armis fuerant.* Et cap. XIV, *Palaestinis poenam remisit*, *quam ob causam Nigri meruerant.* Cap. XVII denique: *Palaestinis plurima jura fundavit.* Quibuscum consentiunt, Basnagio referente (2), Ulpiani dicta, *Coloniam a Severo Neapolin deductam esse*, *ut terram incolis iterum frequentaret.*

In Numis neapolitanis nomen *Flaviae Neapolis* frequentatur, quod sive a Tito oriundum est, sive ab incolis, qui, aliorum exemplum secuti, urbem sic nuncupaverint in memoriam beneficiorum, quae Vespasianus in eam contulisset. *Neapolis*, urbs jam dicitur a Josepho (3), et a Plinio (4), qui eodem anno, quo Vespasianus, mortuus est; et hoc nomen non, ut pleraque nomina graeca et recentiora, postea obsoletum, sed hodieque servatum est in formâ *Nāblūs*, ex *Nābolos* (نابلس) contractâ, quâ voce posteriori Arabum Geographi (5), et Samaritani ipsi in Libro Josuae usi sunt.

Ab Indigenis Josephi aetate dicebatur *Μαβαρθά*. Loco enim modo laudato, idem narrat, Vespasianum, cum exercitu per Samaritidem in Judaeam profectum esse *παρὰ Νεάπολιν καλουμένην*, *Μαβαρθὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων.* In aliis Codicibus ibi legitur *Μαβορθά*, et perperam in aliis, literâ *δ* ex sequenti *δὲ* repetitâ, *Μαβορθάδ.* Apud Plinium l. l., *m* cum *b* permutatâ, exstat *Mamortha.* Cellarius (6) primum conjecit *Μαβαρθά* respondere vocibus מי בורתא, *aquae puritatis*, opinans, hoc nomen desumtum esse a *fonte Jaqobi.* Postea vero, cognito Numo, cui inscribitur *μόρθια*, lectionem *Μαμορθά* praetulit, hanc explicans ex Syriacis ܡܝ̈ܐ ܡܪ̈ܘܬܐ, id est *aquae Dominorum*, *Patriarcharum* nempe, sive potius ex ܡܪܬܐ, *Domina*, ac si urbs diceretur *princeps regionis civitas.* Relandus (7) formam *μόρθια* probavit, quae in dicto *Numo* legebatur, quia *Numi* corruptioni minus quam *Codices* obnoxii sunt. Hanc autem explicuit ex מוֹרֶה, quasi hoc *antiquum* Sichemi nomen fuisset, cui *recentiores* incolae *graecam* terminationem addidissent; et ex hac voce reliquas deinde formas ortas esse, arbitratur. Schwart-

---

(1) Jus hocce Civitatis *Jus* est *Italicum*, de cujus Privilegiis vid. von Savigny *Geschichte des Röm. Rechts im Mittelalter* 1 Bd., p. 51 seqq. et 62.

(2) l. l. I, p. 219. Quae Coloniarum romanarum ratio fuerit post bellum marcomannicum, a M. Aurelio Antonino gestum, et Severi adeo aetate ac postea, exposuit A. W. Zumpt in Diss. *Ueber die Entstehung und historische Entwickelung des Colonats*; in *Rhein. Museum*, *Neue Folge*, 3is Jahrg. 1 Heft. (1843), p. 1 et seqq.

(3) *De B J.* IV. 8 1.

(4) Plin. *H. N.* V. 13. — *Flavia Neapolis* nuncupatur urbs in *Apolog. Iᵃ* Justini Martyris, ex eâ urbe orti Vid Rel. *Pal.* p. 1005 seq, et Just. Mart. ed. Thirlbii Lond. 1722 fol. p. 3 et seq.

(5) Robinson. l. l. III, p. 315 in notâ.

(6) *Collect. Sam.* p. 10, et 11. *Exercit.*, p. 16.

(7) *Diss. Misc.* T. I, p. 138 seqq.

zius (1) Relandi opinionem recte missam fecit, urbem ab Indigenis *Μαβαρθά*, sive *Μαβορθά* vocatam esse censens, sed perperam eam sic dictam esse statuit, quia, ut ait, *Colonia* erat, adeo ut Incolae notionem attendissent *transeundi e loco ad locum, Colonis in primis convenientem.* Idem, quod ipsi, nomen, mihi quidem, ante quam hanc interpretationem legeram, etiam in mentem venerat, מַעְבַּרְתָּא volo: verum hac voce, quia aliae urbes, eodem *Coloniae* jure gaudentes, *hoc* nomen non gerebant, potius existimem, intellexisse Indigenas *exercituum transitum*: quorum castra, iis in locis posita, postea causa fuerint, quare puteus Jaqobi *Ăïn el-Ăscar* (عين العسكر), sive *fons exercitûs*, ac tractus propinquus *Sāhel el-Ăscar* (ساحل العسكر), *campus exercitûs*, hodieque vocetur (2). Ex istâ autem voce *el-Ăscar*, *Istar*, quod nomen Quaresmius (3) memorat, corruptum esse videtur. — Numum denique, cui Relandus magnam illam tribuit auctoritatem, *neapolitanum non esse*, Robinsonus (4) non sine causâ suspicatur. Numum nempe Harduïnus memoravit, cui inscripta erant: *ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ*, quibus *ipsi* praefigere placuit *ΦΛ.* Sic factum est, ut Numus ad *Flaviam Neapolin* referretur. Sed haec urbs numquam dicitur *Metropolis* (5). Illum ergo Numum Eckhelus, et Mionnetus etiam, in Numorum, huc pertinentium, serie omiserunt.

Urbs *antiqua* Neapolis non iisdem finibus, quibus *hodierna*, circumscribebatur. Olim urbs latius se extendebat, ita ut intervallum eam inter et puteum Jaqobi, *tunc* haud ita magnum esset, quam nostrâ aetate. *Pristinae* urbis indicia in eo spatio invenit Maundrellus (6) anno 1698, ac nuper etiam, et locis compluribus, Schubertus (7). *Fundamenta* tamen tantum supersunt, quia ruderum lapides ad ruinas in urbe *recentiore*, haud semel devastatâ, restituendas, adhibiti sunt (8).

Quod ex *ruderibus* efficitur, idem confirmat Eusebii *testimonium*. In *Onomastico* voce *συχέμ*: *νῦν*, inquit *ἔρημος. Δείκνυται ὁ τόπος ἐν προαστείοις Νεαπόλεως.* Neque aliter Hieronymus, et Auctor *Itinerarii hierosolymitani*, sive *burdigalensis*, anno 333 per Palaestinam iter faciens, qui etiam testantur (9), *in suburbanis Neapoleos Sichem*

---

(1) *Exercit. Hist. Crit. in utrumque Sam. Pentat.* p. 25.

(2) Hoc tradidit Suecus Berggren, qui nostrâ aetate huc iter fecit, in loco laud. a C. von Raumer *Palaest.* ed. 2ae Lips. 1841, p. 161, et a Robinsono l. l. III. 1. p. 324.

(3) Von Raumer l. l. (4) l. l. III. 1. p. 343.

(5) Loco Harduini, quem Robinsonus laudavit, non reperto, nescio, an *Montis* (Garizimi) *figura*, quae in *plerisque* ejus urbis Numis conspicitur, desideretur. Si desideratur, dictis alia dubitandi causa accedit.

(6) *Reize van Aleppo naar Jerusalem*, Utr. 1713. 2ae ed. p. 80.

(7) *Reise*, III, p. 143. (8) Robinson l. l. III, 1, p. 345.

(9) Cum his conff. loci allati a Relando *Palaest.* p. 1004.

*monstrari*, ac vicum ignobilem, *Sichemi* nomine insignitum, ibidem superesse (1).

*Devastatam* esse urbem Sichemi a nullo Scriptore traditur. Verisimile est, paulatim eam decrevisse, tum ob cladem, a Cereali Samaritanis illatam, tum maxime, quum Sichemitae in urbem vicinam, magis in dies florentem, migrarent.

In *novâ* urbe, ubi major incolarum pars Graecis et Romanis primum constiterit, Samaritani, Cultui mosaïco addicti, in parte Monti sacro proximâ, separati a reliquis civibus, habitabant, et hanc nunc etiam tenent (2). Ipsorum numerus, nunc perexiguus, olim magnus erat, quare ex hac urbe sub Zenone (474—491), et Justiniano (527—565), graves turbae per Palaestinam excitabantur.

Cum *moribus* Cultus item Romanorum in novam urbem introducebatur. Numi hoc diserte testantur, in quorum plerisque Mons cernitur *cum Templo*. Templum, quod Liber Josuae *ab Hadriano* conditum esse perhibet, DAMASCIUS, seculo 5° exeunte florens, commemoravit. *Γαριζὶμ*, inquit (apud PHOTIUM), *ἐν ᾧ Διὸς ὑψίστου ἁγιώτατον ἱερόν*. Primum hoc conspicitur in Numis Antonini Pii (3), *successoris Hadriani*. *Hadriani* nimirum Numi non feruntur. *Silenus* vero, adeoque Sacra Bacchi, quorum meminit RELANDUS (4), in Numis *Philippi senioris* demum indicantur (5). Quae si *non ante* principatum ibi nacta sint, causa, cur *tunc* invaluerint, alia esse videtur, quam RELANDUS (6) perperam, ingeniose tamen, conjecit. Statuebat nempe, Romanos Bacchi Cultum prae reliquis Sacris Neapoli constituisse, quia opinarentur, hunc *ibi ἐγχώριον* esse, tum ob nomen *Siluntis*, urbis non procul Sichemo sitae, tum quia ritus in festo Tabernaculorum Bacchi Sacra referebant.

Praeter Romanorum Sacra *christiana* etiam *Religio* Neapoli vigere coepit. Post Jesu Christi sermonem, cum Muliere samaritanâ habitum, ex *Sichemitis* multi jam *ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικός*; postquam vero ipse ibi per biduum manserat, *πολλῷ πλείους ἐπίστευσαν διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ* (7). Multi deinde Christiani Coetu Christianorum hiërosolymitano disperso, Samariam petunt (8). Samariam urbem Philippus mox adit, ac christiana Doctrina per Samaritidem longe lateque propagatur (9). Episcopi Samariae, et Neapolis, a seculo 4° ineunte ad annum usque 536 memorantur (10).

---

(1) Sub Moslimorum imperio urbs Neapolis *oblonga* dicitur fuisse, *parum lata* (Vid. A. SCHULTENS in Indice Geographico ad *Vitam Saladini*, in voce *Neapolis*), adeoque non multum diversa fuerit ab urbe *antiquiore*, quia Vallis angustiae non sinunt, eam *valde latam* umquam fuisse. *Hodierna* urbs eamdem etiam formam habet, sed non *tam longa* est, quam *pristina* urbs fuerit.

(2) ROBINSON l. l. III. 1, p. 317. (3) MIONNET l. l. p. 500.

(4) *Palaest.* p. 1006. (5) MIONNET l. l. p. 507. (6) l. l. p. 1017.

(7) *Joh.* IV. 39—41. (8) *Act.* VIII. 8. (9) *Act.* VIII. 5 seqq., et IX. 31.

(10) REL. *Palaest.* p. 983, 1009. ROBINSON l. l. III. 1. p. 347.

Ante tamen, et postea, eaedem et aliae urbes, in his Caesarea, cujus Episcopi ab anno 198—553 innotuerunt (1), in antiquioribus ac recentioribus Notitiis ecclesiasticis recensentur (2). Veterem vero Samaritanorum Religionem, neque Romanorum Sacra, nec Christianorum Coetus, ne post Constantinum quidem, pepulit. Nam Christi Religione a Constantino inde in multis urbibus majoribus principatum tenente, Samaritani tam in his, quam aliis in locis Synagogas suas retinuerunt; ac rure praesertim, et potissimum Neapoli, Sacra sua ita vindicarunt, ut, quod deinde videbimus, Imperatorum christianorum auctoritas et Leges, quin violentissimi quique conatus, exstirpare ea non potuerint. Hoc tamen Romanorum severitas effecit, ut permulti ipsorum ad christianam Religionem converterentur, et Samaritanorum ideo, Sacris antiquis adhaerentium, numerus decursu temporis maximopere decresceret. Multi autem, quorum conversio *simulata* fuerat, ad Cultum avitum deinde quidem revertebantur, at maximam partem ii cum aliis perierunt in bellis, quae ad seditiones, excitatas saepius, sedandas suscipiebantur. Haud pauci postea armis succubuerunt Moslimorum; quibus Palaestinae dominantibus, res christiana ad tempus usque Expeditionum sacrarum suppressa fuit, tunc vero statim restituta est, et ad medium circiter seculum 13um floruit.

His de re christianâ inter Samaritanos universe monitis, nonnulla, quae ejusdem in urbe Neapoli Historiam illustrent, addamus.

Ecclesia, quae olim circa puteum Jaqobi exstructa erat, ab Helenâ, Matre Constantini, condita esse vulgo fertur. Sed constat, eam *posteriori* seculi 4i parte demum aedificatam esse. Ab Eusebio enim, ejusque Coaevo, Itinerarii hierosolymitani Auctore, haec non memoratur. Primus ejus mentionem fecit Hieronymus anno 404, in *Epitaphio Paulae*, quae *ex latere Montis Garizim exstructam circa puteum Jacob intravit Ecclesiam* (3). Hanc deinde adierunt seculo 6° exeunte Antoninus Martyr; seculo 7° Arculfus, (cujus iter descripsit Adamnanus, narrans, aedificium crucis formam habuisse), et seculo 8° Willibaldus. Saewulfus anno 1103, et Phocas anno 1185, Neapolin visitantes, de *fonte Jaqobi* locuti sunt, non vero de *Ecclesiâ*, a Moslimis ante fortasse eversâ. Rudera nostrâ aetate supersunt (4).

Seculo 5° Zeno Imperator in Monte Garizimi Templum posuit Mariae sacrum. Quod quum Samaritani, regnante Anastasio (491—518), et anno 589 sub Justiniano vastare voluissent, hic muro illud cinxit, ac quinque Christianorum Ecclesias, incendio deletas, restituit (5).

(1) Rel. l. l. p. 676—678.
(2) Rel. l. l. p. 215, 220, 222, 227 seq.
(3) Robinson. III. 1. p. 331.
(4) Rel. l. l. p. 1007 seq., et Robinson l. l. p. 330 seqq.
(5) Rel. l. l. p. 1009 seq., et Robinson l. l. p. 348 seqq., coll. p. 319 seq.

Ab anno 1099, quum Christiani Palaestinam Moslimis eripuissent, et Neapolitani illis confestim se subjecissent (1), horum urbs sedes Episcopi iterum facta est, cui titulus erat *Suffragani Patriarchae hiërosolymitani*. Anno 1120 ibidem Synodus convocata est, ubi de moribus Christianorum corruptis emendandis deliberarunt (2). Eo tamen tempore Moslimis item suum Cultum ibi profiteri concessum erat, hac conditione, ut annuum tributum penderent (3).

Non diuturna fuit haec Religionis christianae felicitas. Neapolis enim a Salaho'*d*-dîno anno 1184 primum direpta (4), deinde post proelium hittînense anno 1187 sub Moslimorum potestatem redacta est. Anno 1242 rursus a Christianis capta, et ab Abû-Alîo biennio post denuo expugnata, sub Moslimorum imperio mansit, atque ab his, et a Samaritanis ac paucis Judaeis et Christianis frequentata fuit (5).

---

Urbem Neapolis describentes, in recentiorum temporum memoriam inviti delapsi sumus. Ad aetatem jam regredimur dominationis romanae, ut hanc per varias periodos perlustremus.

Ut verbo jam vidimus, non minoris, quam aliorum Exterorum, Romanorum Imperium in Samaritanos erat efficaciae. Ipsorum haud pauci tunc etiam, in primis post Constantinum, ad Romanorum Cultum pelliciebantur, quo recepto ab his tandem illi vix amplius distinguebantur (6).

Cultum mosaïcum alii contra, iique permulti, abjurare nolebant (7), ac horum ardor primis aerae nostrae seculis magis in dies excitabatur, tum amore multo ardentiore,

---

(1) Willerm. Tyr. ed. Basil. p. 197 seq. N. G. van Kampen, *Geschied. der Kruistogten* I, p. 260.

(2) Will. Tyr. l.l. p. 274, et Robinson l.l. p. 351 seqq.

(3) Michaud *Hist. des Croisades* Tom. VII, p. 591, van Kampen l. l. II. p. 345 seq.

(4) Bahao'*d*-dîn in *vitâ Salad.*, ed. A. Schultens p. 59.

(5) Robinson l. l. p. 335.

(6) Samaritanorum ingenium novis rebus facile sese accommodasse, videmus etium exinde, quod *nova* Urbium nomina ab iis usu ita trita fuerunt, ut haec ab Arabibus servarentur, *antiquis* obsoletis. Nomina v. c. *Neapolis*, *Sebaste*, *Pentecomias*, *Legio*, conferantur cum arabicis formis *Nâblus*, *Sebastia*, *Fandaqomia*, *El-Leggûn* (اللّجّون). Vid. Robinson de posterioribus nominibus l. l. III. 1. p. 380, et 412 seqq. Plerumque enim, ut notum est, Arabes reposuerunt nomina *antiqua*, omissis nominibus *recentioribus*, quia illa apud Indigenas usu valebant. Fieri tamen potest, ut major Exterorum in Samaritide multitudo causis etiam annumeranda sit, quare antiqua nomina *ibi* magis quam *alibi* oblivioni traderentur.

(7) Just. Mart. in *Apol.* I[a], scriptâ haud ita multo post seditionem, a Bar-Cocebâ motam anno 132—135 (vid. ed. Thirlbii p. 49), tradit, *plures* et *veriores* fuisse Christianos ex *Gentibus*, quam ex *Judaeis* et *Samaritanis*; *πλείονάς τε*, inquit, *καὶ ἀληθεστέρους τοὺς ἐξ ἐθνῶν, τῶν ἀπὸ Ἰουδαίων καὶ Σαμαρέων Χριστιανοὺς εἰδότες* cet.

quo tunc in eum Cultum ferebantur; tum Judaeorum, et postea Gentilium, sive Paganorum auxilio, quo fruebantur, quippe qui eodem sua Sacra tuendi studio ducti, unam causam cum Samaritanis defendebant.

Causae, quae effecerint, ut Samaritani majore quam antea amore iis temporibus in Cultum mosaïcum ferrentur, obviae sunt. Vigente sub Maccabaeorum Imperio Judaeorum studio Gentium Sacra exstirpandi, Cultumque judaïcum propagandi, multi etiam Samaritanorum, Gentium Sacris olim addicti, samaritanum Jahves Cultum recepisse videntur. Iste fervor Judaeorum, ac perpetua temporibus mox sequentibus animorum concitatio, novam item inter Samaritanos, Jahven adorantes, vitam excitarunt, in litibus conspicuam, aetate circiter J. C. in mediis iis quoque agitatis. Hunc jam inflammatum Religionis ardorem nutriverunt temporis opportunitates, ac potissimum venia, quam Herodes m. Samaritanis dedit, Synagogas in Urbibus celebrioribus ac mercaturâ florentibus condendi. Sic enim res sacra eorum in locis nonnullis condita et firmata est, ubi aditus ei ante praeclusus fuerat, et praeterea temporis decursu ibi ea et alibi vires cepit. Iis nimirum in locis unius ejusdemque cum Judaeis Civitatis communione illi fruebantur, quae Samaritanorum aemulationem provocaverit, ut Judaeorum exemplo suam Religionem pariter propagarent. Quo studio quin Samaritani etiam ferrentur, nemo sane dubitet, qui graves cogitet, tum horum cum Judaeis ét alibi ét vero Caesareae contentiones, tum etiam eorumdem cum Judaeis societatem, quam, sepositâ aemulatione, ad Romanos pellendos aliquando iniverunt. Eo autem studio postea quoque imbutos fuisse Samaritanos, ex Legibus novimus, quas Imperatores romani saepe tulerunt, ad illos cohibendos, ne alios ad suam Religionem converterent.

Sacrorum autem mosaïcorum studium eo ferventius evasit, quo vehementiores Imperatorum quorumdam, Christianorum maxime, haec Sacra abrogandi erant conatus. Praesertim istud Sacra avita tuendi studium se manifestaverit inter Palaestinae *ruricolas*, cujusmodi homines antiquis institutis diutius vulgo adhaerent.

Neque Samaritani palaestinenses, haec Sacra defendentes, *exteris* auxiliis erant destituti. Socios nempe habebant Samaritanos, in praecipuis exterarum regionum urbibus habitantes, quorum tum ante, tum postea, ut patriae calamitates effugerent, permulti evaserant. Sic olim jam exstiterant Coetus eorum in Aegypto et Damasci, deinde etiam Romae et Constantinopoli, quibus in locis ut Judaei, ita Samaritani etiam mercaturae multum operae navabant.

Horum et palaestinensium Coetuum Coetus princeps erat *sichemiticus*. Hinc ad omnes mandata mittebantur. Hic praecipue, quia totius sacrae reipublicae veluti metropolis ipsa erat, consilia ad Cultum illum contra aliorum impetum tuendum, capiebantur. Hujus ergo urbis Annalibus major sequentis Historiae samaritanae pars continetur.

Haec reputantes, non miramur, Samaritanos *iis* temporibus acriter adeo et vehementer Romanis se opponere *potuisse*. Cui Genti quare *primum* praestiterint obsequium, *deinde* vero sic restiterint, — hoc, ut ex dictis jam conspicuum est quodammodo, ita ex sequentibus magis illustrabitur. Nova haec, ad quam nunc pergimus, Historiae pars, quae ab eversis Hierosolymis incipit, perpetuum fere Cultûs samaritani certamen exhibet, primum cum Gentium Sacris, deinde cum christianâ Religione. Attamen, quia Imperatores, Gentium Sacris adhaerentes, in aliorum Populorum Cultu sinendo moderatiores vulgo erant, ipsum illud cum his certamen levius erat, cum Imperatoribus vero christianis, quoniam plerique Constantini successores aliam Religionem praeter christianam in dies aegrius ferebant, multo acerbius (1).

Fontes, ex quibus horum temporum notitia haurienda est, non multi sunt. Sunt partim *Annales samaritani*, qui propter anachronismos fabularumque involucra prudenter consulantur; partim *Scripta Graecorum* et *Romanorum*, in quibus tamen de Samaritanis rara mentio fit; partim *Numi*, quorum supersunt multi, praesertim neapolitani, cujusmodi, ut monuimus, a Vespasiano ad Volusianum, sive medium seculum tertium post C. n., exsistunt.

Ex Annalibus vero samaritanis, *integro* ABŪ'L-FATḤI Chronico uti nondum licet, sed *paucis* modo ejus Libri *excerptis*, iisque non omnibus, ut videtur, *satis accurate*, quae inserta sunt *Actis Eruditorum Lipsiensibus* anni 1691, p. 170—173. *Posterior* maxime *successionis Pontificum* pars, quae ibi p. 172 seq. exhibetur, iis temporibus illustrandis adhibeatur, quâ de re ut paucis agamus, operae pretium est.

Catalogus Pontificum ab EDVARDO BERNARDO, Professore olim oxoniensi, *ex MSS.* excerptus esse dicitur ibid. (p. 166 seq.): *ex quibusnam* vero, non definitur. Intelligi videntur excerpta ex *Chronico* ABŪ'L-FATḤI, cujus de Pontificibus dicta cum Catalogo conveniunt (2).

*Priorem* hujus Catalogi partem, quae tota fere ficta sit, omittimus. Majori fide digna est series Pontificum a condito inde Templo garisimitano, ab Ḥazaqîâ (Hizqiâ) nimirum, Alexandri aequali, qui Daljam successorem habuit (3). De iis tamen Pontificibus hîc

(1) De diversâ Samaritanorum sub Imperatoribus Paganis et Christianis conditione, conf. D H LEVYSSOHN *Diss.* jam laud. *de Judaeorum sub Caesaribus conditione* p. 49 seqq., ubi, quae de Judaeis dicuntur, maximam partemde Samaritanis etiam valent.

(2) Conff. *Memorabil.* II, p. 54 seqq.; *N. Repert.* I, p 120 seqq., 154, 157. Differt annorum numerus Ḥazaqîae (Hizqiae), Abdali filii et successoris, qui in Chronico ABŪ'L-FATḤI (*Memorab.* l. l. p. 88) *per 30*, in *Catalogo* vero *per 40* annos suo Munere functus esse dicitur. Hae et aliae, quae obviae sint, differentiae fortasse tribuendae sunt *Excerpentis* negligentiae.

(3) Vid. DE SACY *Chrest. Arab.* I. p. 337. In eâ tamen Catalogi parte annorum summa non sufficit ad temporis intervallum ab Alexandro m. ad J. C. explendum.

etiam brevitatis causâ non disseremus. Incipiamus potius a *Johjamo*, quo Pontifice natus sit J. C., anno nempe, ut Bernardus p. 170, consentiente Abū'l-fatho (1), observavit, 25°, quo Munere ille suo fungeretur. Alia porro nota item teneatur (2), *anno 12° Ilazaris, Nathanālis filii, Higram incepisse.* His observationibus utenti, et annos attendenti singulorum, qui feruntur, Pontificum, et haec, quae in utroque Chronico samaritano traduntur, cum aliorum Scriptorum dictis conferenti, Chronologia et Historia hujus periodi quodammodo illustrari videntur. Quae quo melius perspiciantur, Catalogum hic apposui Pontificum, initio facto a *Johjami* successore *Jahūnīno* (Jehunein), cujus ergo Sacerdotium, quia ille per 32 annos Pontifex fuisse dicitur, *ab anno* circiter incipit aerae nostrae *septimo*. Duorum Pontificum, *Babae Rabae*, et *Babae* filii, *Lāwīi* (Levi), annos, qui non notati sunt, probabiliter definivi. Pontifices denique, qui eadem nomina gesserint, quamvis alii ejusdem nominis antea occurrant, hic perspicuitatis causâ, numeris addendis, distinxi, ac nomina adjeci coaevorum Imperatorum Romanorum, et tempus, per quod regnarunt, ab Hadriano inde ad Justinianum, quorum ille omnium Imperatorum primus in Samaritanorum Annalibus memoratur, Justiniano vero mortuo, Romani in illorum Historiâ non amplius obvii sunt.

---

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Jahūnīn Pontifex | erat | per | 27 | annos | ab anno | a. n. | 7—34. | |
| Ališ'a (Elisema) | » | » | 33 | » | ad | annum | 67. | |
| Semaja | » | » | 10 | » | » | » | 77. | |
| Tobia | » | » | 8 | » | » | » | 85. | |
| 'Amram I. | » | » | 9 | » | » | » | 94. | |
| 'Aqōb (Jakob) | » | » | 9 | » | » | » | 103. | |
| 'Amram II. | » | » | 11 | » | » | » | 114. | |
| 'Aqbūn I. | » | » | 30 | » | » | » | 144, | sub Hadriano, (117—138) et Antonino Pio (138—161). |
| Fīnahās (Phinehas) | » | » | 40 | » | » | » | 184, | » M. Aurel Anton. (161—180), et Commodo (180—192). |
| Lāwī (Levi) | » | » | 25 | » | » | » | 209, | » Septim. Severo (193—211). |
| 'Ilazar (Eleazar) I. | » | » | 32 | » | » | » | 241, | » Caracallâ (211—217), Macrino (217, 18), Heliogabalo (218—222), Alexandro Severo (222—235), Maximino (235—238), Gordiano (238—244). |

(1) *N. Repert.* I, p. 154. Ibi vocatur يهيعم, quod Schnurrer pronunciat *Johjám*. (2) *Acta Lips.* p. 171.

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Naba (Neba) Pontifex | per | 21 | annos | ad | annum | 269, | sub | Philippo (244—249); Decio (249—252), Gallo (252 et 253), Valeriano et Gallieno (253—268), Claudio II (268—270). |
| 'Ilazar (Eleazar) II. | » | 41 | » | » | » | 310, | » | Aureliano (270—275), Tacito (275 et seq.), Probo (276—282), Caro (282—4), Diocletiano (284—305), Galerio, cet. (305—311). |
| 'Aqbūn II. | » | 23 | » | » | » | 333, | » | Constantino m. (311—337). |
| Nathanāl I. | » | 32 | » | » | » | 365, | » | Constantio (337—361), Juliano (361—363), Joviano (363, 4), Valente (364—379). |
| Baba Raba<br>Lāwī, Babae fil. | his supersunt<br>anni 109 (1), | | | | » | 474, | » | Theodosio I. (370—325), Arcadio (395—408), Theodosio II. (408—450), Marciano (450—457), Leone Thrace (457—474). |
| 'Aqbūn III. Pontifex | per | 20 | annos | ad | » | 494, | » | Zenone (474—491), Anastasio (491—518). |
| Nathanāl II. » | » | 40 | » | » | » | 534, | » | Justino (518—527), Justiniano (527—565). |
| Nathanāl III. » | » | 31 | » | » | » | 565. | | |
| 'Il'azar (Eleazar) III. | » | 25 | » | » | » | 590. | | |
| Nathanāl IV. | » | 20 | » | » | » | 610. | | |
| 'Il'azar (Eleazar) IV. | » | 18 | » | » | » | 628. | | |

His in antecessum monitis, ad hanc Historiae samaritanae partem enarrandam pergimus. Fata Gentis samaritanae per proximum post Hiërosolyma, anno 70° eversa, seculum dimidium prorsus ignoramus, quo tempore Vespasianus ad annum 79um, Titus ad 81um, Do-

(1) Numero enim 148 annorum, per quos suum Munus gesserunt Pontifices, qui Babae atque filio ejus successerunt ad annum usque 12um 'Ilazaris IVi, quo Higra incepisse dicitur, — numero, inquam, horum annorum 148, addito annis iis 365, numerus exit 513, qui si detrahitur a 622, supersunt 109, qui ergo Babae ejusque filio supersint.

mitianus ad 96um, Nerva ad 97um, Trajanus ad 117um regnarunt.

Trajano regnante a Judaeis bellum iterum commotum est saevissimum, cui etiam Samaritani se immiscuisse videntur. Hoc enim bellum judaïcum sub Trajano quia Samaritani in Chronicis silentio transeunt, et bellum contra, *sub Hadriano* gestum, multis enarrant, ideo tamen negare non licet, in *priore* bello suas item Samaritanos partes egisse. Nimirum fieri potest, ut haec bella, mox non satis distincta, in traditionibus pervulgatis, quas Chronicorum Auctores, eorumve fontes potissimum consulebant, in *unum* postea coaluerint. Lubenter fatemur, iis etiam in locis, ubi de bello sub Trajano commoto sermo fit, nullam *de Samaritanis* mentionem factam esse; sed hi loci quam pauci, iique quam breves sunt in rebus gestis enarrandis! Samaritani praeterea Romanis quidem auxilia praestiterunt in Judaeis Vespasiani et Titi aetate subigendis, tunc vero etiam tumultus inter Samaritanos jam ortus erat, qui, nisi a Cereali subito sedatus fuisset, eum fortasse eventum habuisset, ut Samaritani quique, Sacris mosaïcis addicti, et odio in Romanos flagrantes, cum Judaeis sese conjunxissent ad communem hostem debellandum. Mirumne igitur, si Judaeorum Zelotae, aemulatione, quâ altera Gens alteram alias prosequebatur, postpositâ, urgente praesentis temporis necessitate, ét tunc ét deinde Samaritanos blandis fortasse promissis ad partes suas traducere studuerint? Quod quam feliciter ipsis postea cesserit, sequentia tempora docent, ubi utramque Gentem aliquoties conjunctis viribus Romanis se opponentem videmus. Haec autem belli societas causa sit, quare Judaei, si bellum sub Trajano et Hadriano gestum memorant, *Christianos* quidem, quos ad suas partes frustra traducere conati erant, perstringant, non vero *Samaritanos*, de quorum injuriis, Judaeis illatis, ne verbo quidem loquuntur, cujusmodi, ut vidimus, JOSEPHUS ante minime transiit. Odium denique Romanorum, quo Samaritani, Mosaïsmum profitentes, imbuti erant, in dies auctum esse videtur, in primis postquam bellum a Tito compositum erat. Ab eo nimirum inde tempore, conditâ Neapoli, non modo Cultus Romanorum primum ad radices Montis sacri, et mox in ipso Monte, florere coepit, sed et quisque, qui suam Religionem publice profiteri vellet, annuum tributum Templo capitolino solvere coactus fuisse videtur. Judaeis certe, qui ipsum Templo hiërosolymitano quotannis ante pendebant, tunc Templo capitolino idem tradere, impositum erat (1); quare non credibile est, Samaritanos, quos Romani a Judaeis saepe non satis distinguebant, hujus aliusve, ejus locum tenentis, tributi immunes prorsus fuisse. Et si vel ejusdem immunes fuerint, sine dubio Romanorum Magistratuum vexationibus, in Historiâ adeo notatis, expositi fuerunt.

Ea igitur bella, sub Trajano et Hadriano gesta, quum non ad Judaeos tantum, sed ad

(1) MUNTER *die Judische Kriege*, p. 5.

Samaritanos etiam pertineant, et plerisque parum nota sint, duce MUNTERO, qui de iis in Libello, jam saepius laudato, speciatim exposuit, paucis describamus.

Judaei, post Hiërosolyma a Romanis expugnata, Patriae ac libertatis recuperandae studio ita incensi erant, ut hanc Scriptis (1) continuo excitare anniterentur, et quâvis jugi romani excutiendi occasione non uti non possent. Haec iis opportunitas oblata est regnante Trajano. Bellum anno 114 iterum exarserat cum *Parthis;* quibus, acerrimis quippe Romanorum hostibus, Judaei, qui per Orientem habitabant, ubi potuerint, sine dubio opitulabantur perpetuo. Simulatque ergo Trajanus in Armeniam profectus erat, Judaei seditionem movebant. Primum haec in Cyrenaïcâ erupit, permultis Judaeis frequentatâ, et ab illius belli theatro remotissimâ, atque eo tempore copiis fortasse maximam partem privatâ. Per alias Imperii romani partes, quin in Aethiopiam usque, seditio inde brevi proserpsit. In Aegypto praesertim vires cepit, ubi tamen Alexandriae subito exstinguitur. In hac regione *Andreas* quidam, etiam *Lucius* nuncupatus, rex creatur. Hic, classe paratâ, exercitum in Palaestinam ducit; a Judaeis, Cyprum incolentibus, strenue juvatur, et in Graecos et Romanos atrociter saevit. Seditio, quam Romani ante haud attenderant, quae vero crescebat eundo, sedanda tandem committitur Duci praeclaro, Marcio Liviano Turboni, qui non nisi post multa et gravia praelia Lucium devincit et occidit, ac Judaeos palaestinenses domat. In Cypro postea demum iidem subiguntur, et inde in posterum expelluntur. In Mesopotamiâ tumultum compescit Lusius Quietus, rebus in bello parthico paulo ante gestis nobilitatus, qui, Palaestinae praepositus, seditiosorum animos coërcet, turbarum vero radices evellere nequit (2).

Trajano, anno 117 mortuo, successit Hadrianus. Pace cum Parthis compositâ, anno fortasse 120, itinera per varias Imperii partes hic suscepit. Anno 130, ut testantur Numi (3), Aegyptum et Palaestinam adiit. Hunc ejus in has terras adventum, quin

---

(1) Inter haec Scripta merito refertur EZECHIËLIS, Poëtae alexandrini, sub finem *primi* post Chr. seculi viventis, Carmen dramaticum, *Liberationem ex Aegypto* vividis coloribus depingens, cujus nonnulla fragmenta apud CLEMENTEM ALEXANDRINUM (Tom. I, 23, ed. Pott.), et EUSEBIUM (*Praep. Euang.* IX. c. 28 seq.) modo supersunt. Judice MUNTERO (l. l. p. 8) iis Scriptis etiam annumerandum est *Testamentum XII Patriarcharum.* — De bellis autem iis, teste EUSEBIO (*H. E.* IV. 2) plures graeci Scriptores exposuerunt, quibus ipse in iis, c. 2 et 6 enarrandis, usus est. *Unius* tantum nomen memorat cap. 6, *Aristonis Pellaei* (ad quem locum vid. VALESIUS in annot p. 54). Ex illis Scriptoribus etiam est DIO CASSIUS, Hadriani aequalis, qui quo melius res ipsius gestas cognitas habuerit (vid. ed. REIMARI, Tom. II, p. 1149), et quo accuratius eas maximam partem enarraverit, eo magis est dolendum, de *Bello judaïco* non copiosius eum egisse. Vid. Libr. LXIX. c. 12—14. *Verbo* item hujus Belli tantum mentionem fecit SPARTIANUS, in capite 3• *Vitae Hadriani*, utens *Libris*, quibus Imperator ipse vitam suam conscripserat (vid. c. 1, et 15). Cursim de hoc bello egerunt ABŪ'L-FARAG*ius*, in *Hist. Dyn.*, p. 121 seq., et in *Chron. syr.* p. 56 seq.), et ABŪ'L-FADA*us*, in *Hist. ante-islam.* p. 64—108.

(2) MUNTER, p. 10—27. (3) MUNTER, p. 31 seq.

*bis repetitum* in Palaestinam *reditum*, Liber Josuae, sed perperam, tradit (1).

Hadrianus, ut caveret, ne Judaei seditionem rursus molirentur, consilium iniit Judaeorum Colonias ex Asiâ in oras Africae septentrionales mittendi; hoc vero, quia graves ei rei perficiendae difficultates obstabant, abjecit (2), ac Judaeos potius cum reliquis Gentibus arctius conjungere studuit. Iis ergo, ne ab his amplius se distinguerent, circumcisionis usum interdixit. *Moverunt*, SPARTIANUS inquit (3), *eâ tempestate et Judaei bellum, quod vetabantur mutilare genitalia.* — *Castratio* enim hîc intelligi nequit, quam *Judaei* non instituebant. Praeterea Antoninus Pius Hadriani interdictum revocavit, sinens, ut *circumcisio* Judaeis infantibus administraretur (4). Samaritani item in Libro Josuae queruntur, vetuisse Romanos, quominus liberos circumciderent, et Hadriano imputant abrogationem *Baptismi* (Proselytorum?), *Sabbathi* et *Festorum*.

Judaeorum seditiones Hadrianus praevertere item studuit, *novâ* veterum Hiërosolymorum loco *urbe condendâ*, quam Jovi capitolino sacraret, et solis Graecis et Romanis frequentaret, ac suo et Jovis capitolini nomine insigniret. Hujus consilii perficiendi haud ita multo post initium fecit, ac brevi tempore urbem quodammodo restituit. Non enim urbs *universa* devastata jacebat. *Usque ad Hadrianum*, HIËRONYMUS inquit (5), — *per 50 annos mansere reliquiae.* Has Imperator novis aedificiis condendis exornasse, et munimentis nonnullis urbem cinxisse videtur (6). Opus tamen inchoatum quominus absolveret, impedivit repetita Judaeorum seditio, quam Hadrianus sic agendo ipse provocaverat. Diu, sed clam, haec seditio ante parata fuit. Arma Judaei, mercaturam facientes, facile congesserant (7). Quamdiu vero Imperator in Palaestinâ ejusque viciniâ degebat, his non usi sunt. Sed vix ille anno 131 in Syriam, et inde in Occidentem abierat, quin bellum exarsit, anno nimirum 132 (8).

Judaei eâ aetate habuisse videntur *Synedrium*, quod, Tito annuente, post Hiërosolymorum eversionem *Jamniam* translatum, potestate de rebus *sacris* judicandi instructum, et Patriarchae judaei auctoritati subjectum fuerit. Patriarcha Scholae *tiberiensi*

---

(1) Hadrianus nempe Hiërosolymorum obsidioni ipse adfuisse, et deinde ad Samaritanos puniendos rediisse dicitur. In *illis* narrandis Liber Josuae cum Rabbinorum dictis consentit (MUNTER, p. 83 seq.), et cum Chronico alexandrino, sive paschali (MUNTER, p. 70), atque cum Chronico armeno MOSIS CHORENENSIS (ibid. p. 104 seq.). Verum *hiërosolymitanae obsidionis* tempore in Italiâ Imperator aderat. Bellum judaïcum *per Legatos* gessit (ibid. p. 14).

(2) MUNTER. l. l., p. 34 seq.

(3) SPART. in *Hadrian.* c. 14.

(4) MUNTER. l. l., p. 36 seq., et 99 seq.

(5) In Epist. ad Dardanum, Opp. ed. MARTIN. II, p. 610. Vidd. VALESIUS ad EUSEB. *H. E.*, in ann. p. 54, ROBINSON *Pal.* II, p. 198, et MUNTER l. l., p. 40.

(6) MUNTER l. l., p. 37—41.

(7) MUNTER l. l., p. 43.

(8) MUNTER l. l., p. 45.

etiam praeërat. Ibi enim et in aliis urbibus Palaestinae, ut *Sepphori* (1), *Lyddae*, *Betheri*, Scholae tunc florebant. Hae urbes, Tiberias in primis et Sepphoris, in quas multi Judaei, expugnatis Hiërosolymis, se contulerant, in bello mox gesto magnas partes egerunt. De Lyddâ, Hiërichunte, et Bethlehemo, in Libro Josuae idem traditur. Ut Judaeorum Scripta testantur, auspiciis multorum etiam Rabbinorum, Praefecti v. c. Scholae lyddensis, cui nomen erat Rabbi Tarphon, bellum agitatum est. Hi vero libertatis quidem recuperandae studiosissimi, et eruditione aliis longe superiores erant, at nulla iis rei militaris peritia. Bellum ergo ut rite gererent, Duce opus habebant, Viro audaci, bellicâ virtute insigni. Dux, quem nanciscebantur, Bar-coceba (unde manifestum est, *Synedrii socios belli moderatores fuisse*), in urbe *Bether* coronatus, a Rabbi Aqibâ, Assessore Patriarchae Gamaliëlis, unguebatur. Ad eum Judaei undique confluebant, et ex his exercitus colligebatur (2). Ipsos etiam Christianos ad suam causam promovendam traducere conabantur. Quod quum plerique ipsorum recusarent, Judaei crudeliter in eos saeviebant. Hiërosolyma porro a Judaeis expugnantur. Quae res, a nullo licet Scriptore diserte tradita, sive christiano, sive gentili, omni tamen dubio est superior. In *Judaeorum* enim potestatem hanc urbem redactam fuisse, jam patet ex multorum Scriptorum *de Hiërosolymis, ab Hadriano expugnatis*, testimonio (3). Judaei quidem, urbem *ab Hadriano captam* non memorant, sed *a Judaeis occupatam* esse profitentur. In Talmude nempe babylonico de *Numis* loquuntur Ben-cozibae (id est Bar-cocebae) *hiërosolymitanis*, quos Munterus reperisse sibi videbatur (4). Judaeorum dicta Liber Josuae confirmat, cap. XLVII obsidionem describens, quâ Romani Hiërosolyma cinxerunt.

Captâ sacrâ urbe, Bar-coceba Cultum judaïcum restituit, et Templum, quoad ejus fieri posset, restauravit. Levis hujus rei memoria in Scriptis Chrysostomi, *Chronici paschalis*, Nicephori Callisti, et Georgii Cedreni, servata (5), testimonio item ejusdem

(1) De *Sepphori* cf. Robinson *Pal.* III, p. 440 seq., de *Lyddâ* ibid. p. 263 seqq. Urbs munilissima, a Judaeis in Talmude dicta ביתר, cujus rudera hodie nondum reperta sunt, haud procul Hiërosolymis sita erat; conf. ibid. II, p. 202.

(2) Munter l. l. p. 45—54. (3) Conff. Scriptores laudati ap. Munt., p. 69 seq.. et Robins. l. l. II, p. 201.

(4) l. l., p. 57 seqq. Quaestionem de iis Numis, in quibus Bar-coceba *Simeonem* se nuncupavisset, alii quibus eorum Exemplaria, et Opera Baijerı praesto sint, explorent. Duos Numos ejusmodi Gesenius delineari curavit in Tabulis, additis voci *Paläographie*, quam inseruit Repertorio: *Allgem. Encyclop.*, edito ab Ersch. et Grüber. Nullum discrimen Gesenius ibi fecit Numos inter, quos Simon Maccabaeus cudit, et eos, qui Bar-cocebae tribuuntur. Si vero, ut Munterus perhibet p. 58, tres Numi nomina *Simeonis* et *Hiërosolymorum*, literis samaritanis exarata, gerant, et ii *indicia* simul referant, hos primum a *Trajano* cusos esse, eâ de re vix dubium superest. Haec quaestio etiam Palaeographices ratione habitâ, dignissima sane est, quae deditâ operâ examinetur. (5) Vidd. loci ap. Munt. l. l., p. 64.

*Libri Josuae* l. l. illustratur. Hic enim de *itinere* sermo fit *Judaei*, *cum Sacrificio Hiërosolyma adscendentis*. Mandatum Hadriani, urbe recuperatâ editum, ibi item memoratur, *Templi non ante subvertendi*, *quam ipse illud intrasset*. Quibus additur, Imperatorem *colloquium cum Sacerdote* habuisse, de quo Judaei quoque fabulantur (1); ne loquar de *pretiosis Templi hiërosolymitani januis* ab Hadriano, ut Samaritani ajunt, inde Neapolin translatis, quibus Templum novum, Neapoli conditum, ornaverit.

Per *biennium* fortasse Judaei Hiërosolyma tenuerunt, id est ad annum, ut vulgo statuitur 132 (2). De seditionis nempe initio Imperator parum sollicitus fuit, opinans, hanc a Palaestinae Praefecto, Tito Annio Rufo, facile componi posse. Hunc, ut verisimile est, Judaei mox in angustias redegerunt. Judaei palaestinenses deinde a Judaeis exteris, orientalibus praesertim (3), adjuti, et a Parthis excitati, ac subsidiis fortasse ipsorum corroborati, brevi praevaluerunt ubique. Quinquaginta cepisse dicuntur loca munita, ac pagos sive oppida 985, in quibus etiam portûs fuerint, quos tenentes, ab exteris Judaeis auxilia acceperint (4).

His auditis, Hadrianus bellum omnibus viribus extinguendum esse statuit. Julium severum, summum ejus aetatis belli Ducem, ex Brittanniâ arcessit, et copiis, ex variis Imperii partibus collectis, eum instruit. Ex iis in quâdam Inscriptione (5) *Equitatus* memoratur *mauretanus Gaetulorum*, *Duce Sexto Attio Senecione*. Bellum igitur sequebatur atrocissimum, cujus memoria Romanorum menti inhaesit. Fronto in fragmento ad M. Antoninum (6), bellum hocce uno tenore cum bello parthico et britannico recenset. *Nonne*, inquit, *a Parthis consularis aeque Vir in Mesopotamiâ trucidatus? Quid*, *Avo vestro Hadriano imperium obtinente*, *quantum militum a Judaeis*, *quantum a Brittannis caesum?*

Proelium cum Romanis in campo aperto Judaei prudenter evitabant, et, ut Josuae Liber etiam confirmat, hi se muniebant, tum in oppidis et castellis, tum in antris et speluncis, unde Romanis insidiabantur. Hi ergo, portibus montiumque angustiis occupatis, commeatum Judaeis rescindere, et in latibulis ipsos coarctare coeperunt. Bellum nihilominus per 4 annos continuatur. Hoc enim, ne captis quidem Hiërosolymis, ad finem perductum erat. Tunc nempe Judaei in urbem *Bether* se receperunt, quae urbs non nisi post acerrimam defensionem, ac *fame* demum, anno 135 ad deditionem coacta est. Multa centena Judaeorum millia, in quibus Rabbini haud pauci, tam peste atque

(1) Munter l. l., p. 32 seq. Locum citat ex libro talmudico *Bereschith Rabba*, qui reperitur etiam apud Eisenmenger *Entdecktes Judenthum* II, p. 931.

(2) Munter l. l., p. 65; coll. 63, 66, et 74.

(3) Munter, p. 104 seq.

(4) Munter, p. 66 seqq.

(5) Munter, p. 84.

(6) ed. Mediol. II, p. 321, laud. a Munt., p. 67.

inopiâ durante obsidione, quam gladio in ipsâ expugnatione, perierunt. Nec minus horrenda fuit Romanorum strages (1).

Bello peracto, universa Palaestina in desertum mutata, ac Judaeorum millia, quae ex clade supererant, Hebrone venundata esse dicuntur, *quaeque*, ut Hiëronymus ait (2), *vendi non potuerint, translata in Aegyptum, tam naufragio et fame, quam Gentium caede truncata* (3).

Si dubitatur, an Samaritani cum Judaeis fecerint, bellum sub *Trajano* moventibus, nullum dubium sane est de eorumdem belli judaïci, regnante *Hadriano* gesti, societate. Quod enim in Libro Josuae narratur, hanc sententiam non subvertit. Ibi videlicet de auxilio, quod Samaritani *in posterum* Romanis praestare *possent*, et de victu, quo *ante* ipsos instruxerant, Samaritanus *captus, et ad Hadrianum ductus*, coram eo loquitur! atque eodem capite XLVII° ante etiam de duobus Juvenibus samaritanis sermo est, qui consiliis suis Romanis in Hiërosolymis subigendis auxiliarentur. Haec vero, et ipsae Judaeorum criminationes, ibidem memoratae, quibus Samaritanos in suspicionem apud Romanos adducere conabantur, ac si Samaritani seditionem iterum machinarentur, tantum probant, multos ejus Gentis socios, dum major pars tumultuabatur, cum Romanis fecisse. Et hoc sane verisimile est, quia, praeter plerosque Christianos, Graeci et Romani, per Palaestinam habitantes, et ipsi etiam Samaritani, qui ipsorum Cultum amplectebantur, Romanis sine dubio favebant. Ac *calumniae*, quas dixi, quare, salvâ etiam judaïcae et samaritanae Gentis in eo bello societate, Judaeis imputari non possent? Quare *socios* ii pristinos ita maligne non tractassent? Meliusne Ducem quidem suum habuerunt, quem titulo primum ornarunt *Stellae filii* (Bar-cocebae); cui vero, votis, quae de eo susceperant, irritis factis, ignominiosum *Mendacii filii* (Ben-cozibae) nomen inusserunt? Cur ergo Judaeis istae injuriae minus convenirent *post bellum compositum*, quum graves temporis calamitates animos fregissent et exacerbassent, ac Judaei Samaritanis non amplius indigerent?

Utramque Gentem eo in bello communem rem egisse, vidimus ex Judaeorum dictis, non de Samaritanorum, sed de Christianorum animo, ab ipsis juvandis averso, querentibus. Idem vero etiam patet ex gravi vindictâ, quam Romani, teste Libro Josuae,

(1) Munter. p. 77—83, et vidd. loci laudd. a Buxtorfio in *Lexic. chald. talm.* et *rabb.* in voce בתר.

(2) In Comment. ad Zach. XI. 4. Vid. Munt. p. 85 nota 3, et Robinson l. l. II, p. 202 seq, merito sententiam refutans eorum, qui statuerunt, *Hiërosolyma eo tempore ab Hadriano funditus deleta esse.*

(3) Non tantum *in Aegyptum*, sed fortasse etiam ad *Bosporum thracium*, ii captivi Judaei abducti sunt. Hiëronymus nempe in Commentario ad Obadiae cap. I (quem locum non animadvertit Munterus) *ista*, inquit (Bosporus) *est regio, ad quam Adrianus captivos* (Judaeos) *transtulit.* De Romanorum crudelitate, captis Hiërosolymis, verbo loquitur Abû'l-faraǵ l. l.

de Samaritanis sumserunt. Primum quidem Imperator Neapoli pepercisse, et in Monte Garîzîmi Templum condidisse fertur, deinde vero, memoratis Judaeorum criminationibus stimulatus, Samaritanorum agros incendiis caedibusque replevisse, multos Viros, in primis Principes, trucidasse, et cruci affixisse, quin magnam insuper Neapolis partem delevisse, et Scripta Gentis antiqua perdidisse, de quorum jacturâ Samaritani hoc loco graviter lamentantur. Idem ergo ei urbi fere evenerit, quod Hiërosolymis, quae anno 136 *Aeliae* nomine restaurata, et novis aedificiis ac Templis, Romanorum Cultui dicatis, ornata sunt.

Dictae illae Neapolis calamitates, et quae mox sequebatur, Hiërosolymorum restauratio, ante, ut vidimus, vix inchoata, bello autem composito demum absoluta, in traditione samaritanâ transpositae sunt. Tunc Judaeis ad urbem sacram aditus prohibebatur (1), Samaritani vero ex *suâ* urbe seclusi esse non dicuntur: quod Imperator non necessarium duxerit, quia Samaritani, minus quam Judaei, Romanis erant timendi. Tam graviter tamen eo tempore res etiam Samaritanorum afflictae sunt, ut Hadriani imperium non, ut aliae ejus Gentis Historiae partes, apud ipsam in oblivionem abierit, et ne per secula quidem ex ejus memoriâ evelli potuerit.

Quis vero iste fuerit belli Dux *Bar-coceba*, quisve ejus Socius, *Aqîba*, cujus summa erat auctoritas, huc usque non constat. Judaeis testibus, non ex Gente erant judaicâ. *Aqîba*, ut ii narrant, ex Parentibus, ad Gentem israëliticam non pertinentibus natus, ad Judaeorum Sacra *transiisse* dicitur. *Bar-cocebae* ortus prorsus latet, sed fuisse eum Judaeum *non natum*, sed *factum*, iidem perhibent (2). Uterque fortasse ex Gente samaritanâ oriundus erat. Judaeorum Proceres nimirum, aptum Ducem desiderantes, ejus non *ortum* adeo attendebant, sed maxime *ingenii dotes*. Si vera sit conjectura, minime miramur, honoris titulum illius a Judaeis postea in odiosum istud *Bar-cozibae* nomen mutatum esse, neque etiam, eum, prudenter callideque agentem, Samaritanos Judaeorum causae adjunxisse. Quibus accedit, eum, ut Judaei nonnulli tradiderunt (3), confecto bello, *a Judaeis* interfectum esse.

In Abû'l-fatḥi Chronico (4) Hadrianus *Uxorem habuisse* dicitur *samaritanam ex* Jasûph. Rem ipsam, quae aliunde non illustratur, in medio relinquimus, sed observandum est, eo *nomine* non, quod Basnagius (5) opinatus est, *familiam*, sed *oppidum* intelligi, ex quo, ut Liber Josuae cap. XLVII tradit, fratres, qui Hadriano consiliis auxiliati sunt, oriundi essent. Scribitur ibi nomen ياسوف, et hoc fortasse non differt a *Suffâ*, sitâ Lyddam

(1) Munter l. l., p. 95 seqq.
(2) Munter l. l., p. 48 seqq.
(3) Munter p. 72 seq.
(4) *Acta Lips.* l. l. p. 171.
(5) l. l. I, p. 197.

inter et Bēth-hōrōn (1). Nam legendum videtur in Libro Josuae بيسوف, abi prior syllaba sollenni more ex بيت in apocopen redacta est.

Acerbissime igitur Samaritani in Hadrianum invecti sunt, et non tantum ob graves istas, quas perpessi erant, calamitates, sed praesertim, quoniam Idolorum Cultus in Cultûs ipsorum detrimentum in sacro Monte ab eo fundatus erat.

Hadrianus autem quo gravius in Samaritanorum Scriptis damnatur, eo magis ab Abū'l-fathо laudatur *Antoninorum* imperium; nam in Libro Josuae id silentio omittitur. Ille (2): *anno* inquit, *22° Acbonis, Hadriano—successit Antoninus, Samaritanorum amicus. Is legem Mosis addidicit, et secundum illam, vitam ac regimen sibi instituit. Florebant sane sub illo Principe res Samaritanae, velut jam pridem virtute et auspiciis Josue Nunidae. Imperavit autem Antoninus annos 32, et cum illo simul interiit gloria et felicitas Samaritarum.* Ac revera nullum dubium est, quin felix Antoninorum periodus, Palaestinae universae, ut multarum Urbium rudera hodieque testantur, salutifera, Samaritanis etiam prospera fuerit (3). Intelligitur autem in loco laudato imperium Hadriani Successoris, *Antonini Pii* (138—161), et *M. Aurelii Antonini*, cognomine *Philosophi* (161—180), qui ambo summam operam posuerunt in civitate bene administrandâ, et civium salute tuendâ ac promovendâ (4). Hos Abū'l-fathus, quia *Antonini* nomine ambo innotuerant, unum eumdemque esse existimavit. Quae enim de imperandi ratione feruntur, utrique et maxime Antonino Pio conveniunt. Sic etiam *studium Legis mosaïcae*, si, quod eâ de re dicitur, fide dignum est; nam Literarum excolendarum laude uterque inclaruit (5). Fabulantur Judaei, Antoninum Pium *Judaeum factum esse*, quia etiam *circumcisum*, ut Coenae paschalis particeps esse posset, et *Discipulum* eum fuisse *Judae sancti* (6). Ita Judaei de eo judicasse videntur, nec aliter Samaritani, quia ipsis favebat. Severas nempe Hadriani Leges mitigavit, circumcisionem Judaeis permisit; voluit tantum, ne alios circumcidendo in suae Gentis societatem reciperent. Concessit iis deinde suum *Sanhedrin* restaurare, adeo ut multi memorentur Patriarchae judaïci, qui sub Antonino Pio et ejus Successoribus floruerunt (7).

---

(1) Vid. Mappa Robinsoni.

2) *Act. Lips.* l. l., p. 171. De *Antoninorum*, *Judaeorum fautorum*, mentione in Talmude, vid. A. H. Israëls Diss. *exhibens collectanea Gynaecologica ex Talmude Babylonico*. Gron. 1845 8°, p. 65.

(3) Capitolinus (cap. 5) seditiones Judaeorum sub Antonino Pio his verbis commemorans: *atque*, inquit, *Judaeos rebellantes contudit per Praesides ac Legatos*, — ob oculos habet *tumultûs*, sive *latrocinia* eorum in *Achajâ* et *Aegypto*, quorum tum in Numis, tum etiam in Frontonis ad Antoninum Epistolis mentio fit. Vid. Munter l. l., p. 98 seq.

(4) Heeren *Handb.* p. 513 seqq.

(5) Crevier *Histoire des Empereurs Rom.* IV, p. 460 et 558.

(6) Munter l. l., p. 98.

(7) Munter l. l., p. 99 seqq.

*M. Aurelius* aditum ad *honores* Judaeis permisit, Hadriani vero mandata renovavit, postquam Judaei in belli cum *Parthis*, et rebellionis, ab *Avidio Cassio* motae, societatem venerant (1).

De *Commodo* (180—192) sequentia Abū'l-Fathus retulit (2), quae anno 183 accidisse feruntur. *Confestim ab altercatione Levi Pontificis, et Alexandri Aphrodisiensis de novitate mundi, in Samaritas ense, flammis, crucibus et omni genere mortis saeviit Commodus Imperator. Idem etiam suasu Galeni Medici, et domos et Synagogas Samaritarum carne porcinâ et Idôlis polluebat.*

Nefanda facinora *Commodo* regnante patrata esse, non mirandum est. Vir erat crudelis, et voluptatibus ludisque gladiatoriis deditus, imperii administrationem aliis committens, et amicorum desideriis, scelestis subinde et nefariis, lubenter obsequens (3). Fieri ergo potuit, ut in Samaritanos tunc saevierint, et haec *Galeni* suasu facta esse dicantur, quia hic, ut M. Aurelii, ita Commodi etiam familiaris erat (4). Huic autem traditioni quid veri insit, non definiam, neque etiam, quid de iis statuendum sit, quae de *Alexandro Aphrodisiensi* feruntur, Philosopho et Medico, qui seculo 2° exeunte, et 3° ineunte, floruit (5), et coaevus ergo fuit Lewii illius, Pontificis samaritani, qui per 25 annos sacerdotali Munere, et ut videtur ab anno 184—209, functus sit (6). Num forte Samaritani, laeso Pontifice, tumultuati sunt, ut hanc ob causam castigarentur? — Samaritanis Cultum *suum* celebrare tunc permissum fuisse, ex *Synagogarum* mentione efficere licet.

Certiora sunt, quae Imperatore *Septimio Severo* (193—211) acciderunt. Antoninorum gente post Commodi mortem exstinctâ, inter eos, qui Imperatores creati erant, bellum civile erumpit. Subacto M. Didio Juliano, *Romae* a Praetorianis electo, Septimius Severus, in quem a Legionibus *Illyriacis* Imperatoria dignitas delata erat, alterum Aemulum aggressus est, Pescennium Nigrum, in *Oriente* Imperatorem proclamatum, Syriae ante Praefectum, et omnium profecto, qui purpuram gereret, dignissimum (7),

(1) Münter l. l., p. 100 seqq. (2) *Acta Lips.* l. l., p. 171.

(3) Heeren l. l., p. 516 seq.; Crevier l. l. V, p. 19, 27 seq.

(4) Crevier l. l. IV, p. 560, et V, p. 12.

(5) Alexander Aphrodisius (الاسكندر الافروديسي) cum Galeno etiam acerrime disputavit. — Commentarios ille conscripsit in Opera Aristotelis, Romanis non minus quam Moslimis carissimos, et alia Scripta haud pauca, in quae tum Graeci, tum Syri et Arabes commentati sunt. De his Scriptis, Commentariis et Versionibus vid. *Zusammenstellung Einfacher Heil- und Nahrungsmittel von* Ibn Baithar, *aus dem Arabischen übersezt von* Dr. J. von Sontheimer, II Bd. (Stuttg. 1842 fol.), p. 726—729.

(6) Conff. *Act. Lips.* l. l. p. 173, et supra p. 128.

(7) De *Nigri* indole et consiliis vid. Crevier l. l. V., p. 95 seqq., et 131 seqq.

ac Gentibus, ipsius imperio subjectis, dilectum. Hujus partes secuti erant Judaei et Samaritani. Nigro igitur anno 196 ad Issum devicto, Severus, vindictae studiosissimus (1), in omnes adversarios graviter animadvertit, in urbes maxime, Nigro olim amicas, ac Neapolin civitatis jure privavit (2). Palaestinae porro, gravibus jam pressae tributis, peculiarem praeposuit Praefectum, cujus Tyrus esset metropolis, quae ipsius partibus faverat (3). Bello finito, Senatus triumphum decrevit, quem SPARTIANUS (4) *judaïcum* dixit, et Severus filio Caracallae agere concessit.

Hoc bellum intelligere videtur HIËRONYMUS (5), *5° Severi anno* (198 igitur p. C. n.) *judaïcum et samariticum bellum motum* esse perhibens. ABU'L-FARAGIUS (6) in annum *primum* Severi hoc incidisse testatur, et *bellum hocce grave* (فتنة عظيمة et [illegible]) nuncupat, in quo *ab utrâque parte* (ut in textu arabico exstat) *multi occisi sunt*. Non verisimile est, *Claudii seditionem* (7), quam DIO CASSIUS (8) commemorat, cum eo bello cohaesisse, quamvis MUNTERUS (9) conjecerit, inter ejus socios *Judaeos*, atque ipsum item *Judaeum* forsitan fuisse.

Neapolitanis Severus jus civitatis postea restituisse dicitur, quod efficiunt ex SPARTIANI verbis: *poenam Palaestinis* (Severus) *remisit, quam ob causam Nigri meruerant* (c. XIV); et *Palaestinis plurima jura fundavit* (c. XVII). De *Neapoli* igitur non diserte mentio fit, quamvis fieri possit, ut hanc urbem, si *postea* hocce jus ei restitutum est, SPARTIANUS etiam intellexerit. Videtur nempe Severus post reditum ex Oriente ea statuisse, quo tempore ira Severi nondum placata fuerit. Tumultum, quem memoravimus, animum ejus a *Judaeis* saltem magis abalienasse, Lex docet, quâ *iis* et *Christianis* interdixit, alios ad suam Religionem traducere. *Judaeos* (sic ibi pergit SPARTIANUS, *Samaritanos* fortasse, quos Gentium more *Judaeorum Sectam* esse, opinatus sit, *Judaeorum* nomine etiam complectens) *fieri sub gravi poenâ vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit.* Postea demum Judaeis, et cum iis sine dubio quoque *Samaritanis*, jus civitatis romanae reddidit (10).

*Caracalla*, Severi Successor (211—216), universo Imperio romano hocce jus civitatis concessit. Ab hoc tamen inde tempore non adeo multos illud Samaritanis aliisve fructus tulit. Jus nimirum, quod Severus, quum ipsum aliis adimebat, magni adhuc faciebat, non tanti amplius, quanti antea, aestimari poterat, post quam cum omnibus ingenuis

(1) Atheniensibus, quia hi eum *juvenem* laeserant, Imperator Privilegia nonnulla ademit.
(2) Loci SPARTIANI huc pertinentes, conff. supra p. 119 seq.
(3) CREVIER l. l. V, p. 133 seq., 136, 168 seq.
(4) *Sev.* c. 16.
(5) In *Chronico* ad annum 198, sive U. C. 951.
(6) *H. D.* p. 125, in *Chronico syriaco* p. 60.
(7) CREVIER l. l. V, p. 143.
(8) Libr. LXXV. c. 2. p. 1257.
(9) l. l., p. 102 seq.
(10) MUNTER l. l., p. 103 seq.

Imperii incolis communicatum erat (1). Idem porro omnibus eadem largiens *beneficia*, *tributa* etiam imponebat, nec cohibebat, quominus Imperatorum et Magistratuum ludibrio iidem saepius expositi essent.

Istiusmodi facinora ab ABŪ'L-FATḤO (2) *Alexandro Severo* (222—235) imputantur. Dicitur *Samaritanis pretio 20 follium aureorum passim occidi jussisse, ac Nathanālem aut ejus Parentem Aqbūnem a Cultu unius Dei minis deterrere conatus esse, non vero potuisse.* In Josuae Libri cap. XLVIII, Pontifex quidem, cui idem evenerit, *Aqbūn* vocatur; ibi vero non *Regis*, sed *fratris Regis* fit mentio, quo intelligi videtur Vir princeps, Imperatoris nomine agens, Praefectus fortasse Palaestinae. At collato Catalogo Pontificum (supra p. 127 seq.), neque *Nathanāl*, neque *Aqbūn*, Alexandro Severo regnante, Pontifex fuit, sed *Ibazar*, et *hic* etiam hic intelligatur. Nomen Sacerdotis minus certum esse, jam apparet ex ABŪ'L-FATḤI dubiis, scribente, *Nathanālem* sive *Parentem ejus*. In traditione nempe nomina videntur esse confusa, et iis nominibus, quae in Samaritanorum Historia *Ibazaris* nomine clariora sunt, aliena tributa.

Nec modo Pontificis, sed *Imperatoris* etiam nomen cum alio nomine ab ABŪ'L-FATḤO fortasse permutatur. Non enim verisimile est, *Alexandrum Severum* ea patrasse. A Matre Mamaeâ, praeclarâ Muliere, educatus, praeclarum etiam Filium non modo, sed et Imperatorem ipse se praestitit, ideoque egregiis Principibus merito annumeratur. Abhorrens a crudelitate, suâ naturâ ad benignitatem pronus, humanitate insignis, aequi justique studiosissimus, sanguinem insontem numquam effudit, neminem, in cujus causam non satis inquisitum esset, damnavit, iterque per Provincias instituens, bonos Praefectos beneficiis, pravos poenis affecit (3).

Quae quum ita sint, ista facinora sive Alexandri *regni initio*, quum Heliogabali *Edicta* adhuc vigerent, sive potius *Heliogabalo regnante* (218—222) commissa esse videntur. Hic enim turpissimis vitiis famosus, pessima quaeque patravit, ac Remp. universam turbavit, et Cultum Heliogabali, sive Elagabali, cujus ipse Emesae Sacerdos fuerat, per totum Regnum propagare conatus est, ac Judaeorum et Samaritanorum, quin Christianorum etiam Ritus cum illo conjungendi consilium animo volvit (4). Haec Sacra si Samaritanis obtrudere voluerit, sine dubio hi Imperatori pertinaciter se opposuerunt, ipse vero vi certo usus est.

Ex ABŪ'L-FATḤI Chronicô deinde ad annum 283 in *Actis Lipsiensibus* l. l. haec no-

(1) De Jure Civitatis cum omnibus Regni urbibus communicato, vid. etiam VON SAVIGNY, *Geschichte der R. R. im Mittelalt.*, 1 Bd. p. 62 seq.

(2) *Acta Lips.* p. 171.

(3) CREVIER ll. V, p. 337 seqq.

(4) CREVIER l. l., p. 283, 306.

tantur: *545 anno Graecorum a Seleuco, quod est annus 312* (id est: quae aera incipit ab anno 312 a. C. n.), *et 233* (p. C. n.), *Persarum dominium instaurat Ardasir Babecida, anno 20° Aqbūnis Pontificis samaritani, 12° Alexandri Severi Imperatoris.* Nomina hic rursus confunduntur, neque accurate definiuntur anni. Anno 4° Regni Alexandri, anno nimirum 226, *eodem* ergo *Ifaaaro Pontifice*, Artaxerxes, Sasānis filius, seditionem movit, regnante Arsace XXX (s. Artabano IV), ultimo Arsacidarum, quorum Regno everso, ille Sasānidarum Imperium condidit.

Ex hac *Sasānidarum* in Annalibus samaritanis mentione efficias, ejus Dynastiae memoriam huic Genti inhaesisse. Et sane non sine causâ! Sasānidae, Achaemenidarum exemplo, Imperii fines quam latissime dilatare studebant. Artaxerxes ille a Romanis jam petiit, ut Syria et Asia minor, quae pars quondam pristini Regni persici fuerat, ipsi redderentur, ideoque ipse cum Alexandro Severo (1), ac saepius postea ipsius Successores, cum Romanis bella gesserunt. Quorum opportunitate ut Samaritani non otiosi fuerunt regnante Justiniano, ita non credibile est, eosdem temporibus, quae ab Alexandro Severo ad Justinianum usque praeterlapsa sunt, fidos Romanorum contra Persas socios fuisse. Ante Alexandrum Severum nempe Samaritani Romanis jam parum erant benevoli, ac rebus Romanorum misere deinde turbatis, clandestine certo, si non publice, ipsis adversabantur. Quid enim, Šabūro I, sive Sapore regnante, acciderit, notum est, quum multae Provinciae a Romanis defecerant, ac Persae, anno 259 Valeriano clade affecto captoque, magnam Syriae et Asiae minoris partem, quam tamen per breve tempus tenuerunt, expugnaverant (2).

Persis tunc fugatis, Oriens tamen tranquillitate non fruebatur. Alius Hostis brevi Romanis surrexit, cui non Persae tantum, sed fortasse etiam Samaritani quodammodo auxiliati sint. Odenatum cogito, qui, Tribûs cujusdam arabicae olim Praefectus, a Valeriano Palmyrae Rex creatus, a Gallieno, ob res in bello persico, aliisque expeditionibus, praeclare gestas, anno 266 *Augusti* titulo ornatus erat. Odenato autem sequente anno á Maeonio cognato interfecto, *Zenobia*, invitis Romanis Regnum Palmyrae sibi non modo vindicabat, sed rebus turbatis ad hoc amplificandum utebatur. Heraclium primum, a Gallieno cum exercitu missum, fundit. Deinde sub Claudio (268—270), Palaestinâ et Aegypto potitur. In Bithyniam vero progressae, ut mox in Europam transiret, Aurelianus (270—275) resistit, captâque et devastatâ Palmyrâ, huic bello, in quo gerendo Palaestinenses, teste Zozimo, partes Aureliani sequebantur, finem imponit (3).

*Diocletianus* anno 284 Regno praepositus, tribus Sociis assumtis, ac singulis Imperii

(1) Crevier l. l., p. 377 seqq. (2) Crevier l. l., p. 542.

(3) Crevier l. l., p. 545 seqq., 554 seq., 567 seqq., et VI, p. 18, 38 seqq. Zozimus (l. c. 52.) *majorem* incolarum *numerum* videtur *spectasse*. Nam *omnes* Aureliani partes non sequebantur.

parte traditâ, *Orientem* sibi sumsit; sed anno 305 cum Maximiano, imperio se abdicavit. *Constantius*, Constantini m. pater, et *Galerius*, soli jam superstites, Regnum inter se diviserunt. Galerius, Orientem nactus, Caesares creavit Flavium Severum et *Maximinum*. Hic Provinciis donatus asiaticis, tum alias terras, tum Palaestinam, fame et peste exhaustam, caedibus replevit (1), anno vero 313 a Licinio ad Adrianopolin devictus est. Bellum, ab eo cum Constantino, qui Occidenti imperabat, gestum, sequente anno compositum est, sed postea iterum erupit, et anno 323, expugnatâ Nicomediâ, Bithyniae urbe, captoque Licinio, finitum est, atque eum habuit eventum, ut Constantinus ad universi Regni imperium perveniret (2). Hoc vero, ut recte administraretur, in 4 *Praefecturas* divisit, in *Orientem*, *Illyriam*, *Italiam*, *Gallias*. Singulis praefecit *Praefectum praetorio*. Orientis Praefecturam in 5 divisit *διοικήσεις*, *Orientem* proprie sic dictam, *Aegyptum*, *Asiam minorem*, *Pontum*, *Thraciam*, quas singulas subjecit *Vicariis Praefecti praetorio*. *Διοικήσεις* tandem divisit in *Provincias*, quibus praeërant *Rectores*, qui, subditi iis *Vicariis*, non omnes tamen eodem titulo ornati erant (3).

Novus hicce rerum ordo, et principatus, quem ab eo inde tempore Religio christiana nancisci studebat, et in dies magis nacta est, universo Imperio romano gravissimus erat; in primis vero iis, qui suam Religionem abjurare nolebant, *Paganis* nimirum, atque *Judaeis* et *Samaritanis*. Praecedentes nempe Imperatores, pessimi licet subinde, et scelestissimi, Religionem parum *plerumque* curabant, et suam aliis non obtrudebant; contra, varias Gentes, si Resp. modo nullum inde detrimentum caperet; sua Sacra celebrare sinebant. Alias rationes sequebantur Constantinus et plerique ejus Successores. Hi, Gentium Sacra non statim abrogari posse perspicientes, haec aliquamdiu ferebant. Christianis vero in primis favebant. Leges, quae publicabantur ad Religionis libertatem, ac jura eorum, qui Societati christianae non adscripti essent, vindicanda, immoderato Christianorum ardore reapse infringebantur saepius, et quo majores progressus faceret ipsorum Religio, eo audaciores in alios ii se gerebant. Leges, verbo, quibus sub proximis etiam Constantini Successoribus cuique suam Religionem profitendi libertas concedebatur, non strenue vindicabantur, nec raro hanc ob causam *renovabantur*, et vel sic tamen a flagitiosis Magistratibus, cujusmodi in Oriente haud pauci fuerunt, turpiter invitis Imperatoribus violabantur (4).

---

(1) Le Beau *Hist. du Bas Empire*, Paris 1819. I, p. 43 seqq.

(2) Le Beau l. l., p. 119, 134 seqq., 158 seqq.; Heeren l. l., p. 535 seqq.

(3) Le Beau l. l., p. 242 seqq.; Heeren l. l., p. 544.

(4) Vid. Sam. Theophil. Rüdiger *de statu et conditione Paganorum sub Imperatoribus christianis post Constantinum*. Vratislav. 1825 8°, p. 26, 31, 36, 59.

Samaritani quid tunc egerint, supra (p. 125 seq.) verbo jam indicavimus, nunc vero pluribus explicemus. Alii sive sincere, sive simulate ad christianam Societatem transierunt. Alii, iique haud pauci, alium Cultum profiteri nolentes, *publice* primum se non opposuerunt, tandem vero violentis Christianorum conatibus excitati, summâ cum contumaciâ iis restiterunt, ac mortem subire maluerunt, quam Sacra Proavorum abjurare. Romanos, nondum cognitos, primum hi amicos salutaverant, eosdem vero, quum suum Cultum in medio sacro ipsorum loco constituissent, inimicos habere coeperant, nec raro, datâ occasione, factis id probaverant. Animadvertentes autem Romanos post Constantinum hoc agere, ut Cultum ipsorum paternum delerent et exstirparent, ista a Romanis aversio in acerbissimam odium abiit. Ex Libro Josuae manifesto apparet, Aquilam, romanae dominationis insigne, in Monte garizimitano positam, Samaritanos aegrius in dies tulisse, nec minus ipsorum indignationem movisse Templum istud romanum in Montis vertice, ac Deorum Sacrificia, et Festorum magnificentiam. At multo magis *Crucem* iidem deinde abominabantur, Cultûsque christiani detestabantur pompam et splendorem. In *Idolorum* umbrâ Samaritanorum Cultus adhuc ferebatur, sed sub Christianorum principatu eadem erat, quae Gentilium, ipsorum sors. Ut Templum in Monte, Cultui Romanorum antiquo dicatum, a Christianis sive vastabatur, sive occupabatur, ita circa puteum Jaqobi, Samaritanis sacrum, Ecclesia brevi exstruebatur christiana, hunc puteum per multa secula occultans. Samaritana Synagoga in sacro Monte, in Aedem Mariae postea commutabatur, Arcis instar muniebatur, et alia praeterea Sacraria Neapoli aedificabantur. Samaritanis deinde jura adimuntur civilia; infantium, ut queruntur, vetatur circumcisio; Synagogae clauduntur; aditus ad Montem sacrum praecluditur. Non igitur sine causâ Christianos ii acerrimos judicarunt adversarios. Haec Josuae Libri dicta in Scriptis etiam graecis et latinis confirmantur simul et illustrantur.

Operae ergo pretium est, ut, quantum fieri possit, de Samaritanorum iis temporibus conditione sigillatim exponamus. Fontes tamen ad hanc disquisitionem rite absolvendam sunt perexigui. Non modo in Scriptis Graecorum et Romanorum ejus aetatis de Samaritanis rarissime sermo est, sed et Samaritanorum de rebus, quae tunc ipsis evenerunt, testimonia sunt perpauca. Praeterea in Libro Josuae res *universe* vulgo traduntur, omisso nomine Imperatorum, quibus regnantibus narrata acciderint. Ea denique, quae memorantur, traditionis involucris et fabulis subinde mirifice exornata atque obscurata sunt.

In hac autem fontium paucitate ac vitiositate, non melius haec Historiae samaritanae pars illustrari posse videtur, quam si *Paganorum*, et praesertim *Judaeorum* hoc tempore vicissitudines in Regno romano attendimus, quia Samaritanorum sub Imperatoribus item christianis sors a *Judaeorum* et *Paganorum* sorte parum plerumque diversa erat, praesertim ubi Christiani, fanatico acti furore, in ipsos, nominis christiani quippe inimicos, eodem modo, quo in Judaeos et maxime in Paganos invehebantur.

De *Paganis* igitur primum agamus, quibus consideratis, externus Ecclesiae christianae eo tempore status quodammodo item cognoscitur; quae notitia desiderari nequit ad Samaritanorum dicta bene perpendenda, et caute adhibenda.

*Paganorum* conditionem, et *Rei christianae* progressus sub Constantino et proximis ipsius Successoribus descripserunt Sam. Theophil. Rüdiger (1), et A. Beugnot (2). Fontes ii diligenter in suos usus converterunt, cum *Leges* tum *Scriptores*, et in his *Paganos* non modo, sed etiam *Christianos*, qui, ut ille jure monuit (3), ubi de Constantini m. rebus gestis agunt, prudenter consulendi sunt. His autem fontibus inter se collatis, constat permagnos Religionem christianam progressus dictis temporibus fecisse, minores tamen per priores 33 post Constantinum annos, quam postea (4), ac multo majores in *Oriente*, quam in *Occidente*. Hic enim *ditiores* praesertim, et *doctiores* Romani, antiquis Sacris diu adhaerebant tenaciter, ac christianam Religionem tantum profitebantur homines maxime inferioris classis (5). Horum Clericis eadem quidem, quae Sacerdotibus romanis, concedebantur Privilegia, at et hi sua servabant, quin aliquamdiu ipsorum Sacra intacta manebant (6). *Scholis* per universum Regnum romanum sub Constantino et proximis Successoribus praeërant *Gentiles*, ibique nobiliorum Romanorum filii erudiebantur. His ergo Munera quaeque gravia tum Romae et Constantinopoli, tum in Provinciis mandabantur (7). Leges porro ferebantur quidem perpetuo ad Religionem inveteratam paulatim removendam et exstirpandam; sed hae Leges quam parum efficaces erant, nullâ saepe poenâ munitae, et a Magistratibus gentilibus non vindicatae! Non mirum ergo, has post breve tempus, et frustra quidem aliquoties, *renovatas esse* (8). Ac tantum aberat, ut Imperatores christiani solam tuerentur Religionem christianam, ut ii ad Valentinianum I, et Valentem usque, a Paganis *Pontifices maximi* appellarentur, et Cultûs adeo antiqui Patroni haberentur et Vindices (9).

Religionem christianam Constantinopoli a Constantini inde tempore potissimum floruisse, negari nequit, at perperam tamen nonnulli contenderunt (10), hanc urbem *totam* in *urbis christianae formam ab eo redactam esse*. Hanc ille tantum, ut tradunt Eusebius, Socrates et Sozomenus (11), similiter ut alia loca, multis aedificiis, et publicis monumen-

(1) In Libro supra laudato.

(2) *Histoire de la déstruction du Paganisme en Occident.* Ouvrage couronné par l'Académie Royale des Inscriptions et Belles Lettres, Paris 1835, II voll.

(3) Rüd. p. 14. (4) Beugn. I, p. 319. (5) Rüd., p. 15. (6) Ibid., p. 5 et 48.

(7) Ibid., p. 15, 16, 19 et 31. (8) Ibid., p. 26, 31; coll. supra p. 141.

(9) Rüd., p. 10, et Beugn. I, p. 270 seqq., ad indicia hujus Dignitatis, in Numis eorum Imperatorum item conspicua, revocans.

(10) In his Crevier *Hist. des Empereurs Romains*, Tom. VI, p. 364 seq.

(11) Euseb. *de Vitâ Constantini* III, c. 48, 49, 54, et IV, c. 56, 59, 60. Socr. I. 16. Sozom. II. 3.

tis in christianae Religionis gratiam ornavit, et multis Privilegiis Christianos donavit; Paganorum vero Sacrificia minime abrogavit, aut Templa ipsorum clausit vel destruxit (1). Merito Constantini celebratur *tolerantia*, quâ cuique permisit sua Sacra agere (2), sive attendis Edicta, quae cum Licinio anno 312 et 313 promulgavit, quorum mentionem fecerunt EUSEBIUS et LACTANTIUS (3), sive Leges ab ipso solo postea latas (4), sive ipsius Constantini de hoc tolerantiae studio testimonium (5).

Nec aliter fere egerunt per 50 fere annos ipsius Successores. Hoc tantum illi et his intercedit discrimen, quod multi ex *his* rerum conditione plerumque coacti, minore utebantur moderatione. Sic Gentium Sacrificia interdicere, sed frustra, tentavit Constantius; nam Cultus antiquus tum alibi, tum in primis Romae et Alexandriae laete tunc florebat, (6). Omnia fere in integrum restituit Julianus, nec ea *restaurare* modo, sed *emendare* etiam studuit (7). Libertatem contra in quovis Cultu celebrando vindicarunt Jovianus (8), Valentinianus in Occidente (9), et qui simul cum eo (364—378), sed in Oriente, regnavit, Valens (10), quamquam ille Paganis valde favit, hic vero in eos pariter atque in Christianos orthodoxos, Arianorum quippe vindex, iniquiorem se praestitit.

In tali tamen rerum conditione Gentium Sacra abrogari non poterant, ac revera minime tollebantur. Quid Phoeniciae urbes memorem, et Gazam atque Edessam, et vero Alexandriam, ubi illa ad Theodosium I usque principatum tenebant (11)! Quid Antiochiam, ubi, in urbe, Rei christianae Metropoli, laete eadem florebant, ubi splendidum gentilis Cultûs Templum, ubi clara evasit schola LIBANII (12)! Nec Constantinopoli Cultûs antiqui desiderabantur vindices. Ibi etiam vixit THEMISTIUS, cujus magna erat sub Juliano in Senatu auctoritas (13). Eum Cultum ibidem viguisse, ipsius THEMISTII testantur Orationes, quibus ipse *Urbis Praefectus*, Joviano gratulatus est; ne *amorem* dicam, quo in *eam* ille Urbem prae ceteris maxime ferebatur (14). Ac sic intelligitur, qui fieri posset, ut in magno Constantinopolitanorum numero, qui ineunte seculo 5° Romae incolarum numerum superabat (15), ex 400,000, tantum 100,000 essent Christiani, anno nempe 398°, quo JOANNES CHRYSOSTOMUS Episcopatum Constantinopoli capessivit (16).

A Gratiano tamen inde Religio christiana incrementa cepit, praesertim vero regnante

---

(1) RÜD., p. 19, et BEUGN. I, p. 77 seq. (2) RÜD., p. 18 seqq., et BEUGN., p. 57 seqq., 73 et 99.
(3) EUSEB. *H. E.* IX. 9; LACT. *de mortibus Persecutorum* c. 48, coll. c. 34. (4) RÜD. p. 5 et seqq.
(5) EUSEB. *de Vitâ Const.* II, p. 56. (6) RÜD., p. 18 seqq, 26, 30 seqq, et BEUGN., p. 140.
(7) RÜD., p. 37 seqq., BEUGN., p. 187 seqq. (8) RÜD., p. 42, et BEUGN., p. 225 seqq.
(9) R., p. 43; B., p. 232 seq., 252. (10) R., p. 44, et B., p. 237 seq.
(11) R. p. 60, 65, 74. (12) B., p. 198 et 237.
(13) B., p. 178, 226. (14) B., p. 226, 322 seqq.
(15) SOZOMEN. II. 3, et ZOZIM. II. 35. (16) B., II, p. 195.

Theodosio I, quum ipsa in Oriente magis praevalere coepit. Ille Valentiniani I filius, Patre mortuo anno 375 *Occidentis*, et anno 378, Valentis loco, *Orientis* imperium accepit, hoc vero Theodosio tradidit. Primum ille Cultûs utriusque, romani et christiani, libertatem tuebatur, nec Paganis erat molestus. Deinde vero, et potissimum ab anno 382, instigante AMBROSIO, Christianorum causam strenue agebat. Lege hoc anno publicatâ, *illorum* Sacerdotes plerisque Privilegiis privavit, ac Pallium pontificale ipse recusavit (1). Gratiano autem anno 383 interfecto, ac mortuo Valentiniano II, qui huic in Occidente successerat, Theodosius, huc usque in Oriente regnans, anno 394 Occidentis etiam imperium nactus est (2). Tribus prioribus Regni theodosiani annis (ab a. 378—381) Cultus antiquus in Oriente plenâ quoque fruebatur libertate, ubi longe lateque propagata erat LIBANII disciplina, cujus Discipuli et Amici, per Graeciam, Syriam, et Aegyptum, quoquoversus dispersi erant, ac mutuum, et ipsi inter se invicem, et cum suo Doctore Epistolarum habebant commercium (3). Verum clementiam in Paganos Theodosius postea magis magisque missam fecit. Anno 381 et deinceps Leges tulit de *Apostatis*, de *Catechumenis*, et *Fidelibus* (s. *Baptizatis*), ac de *Sacrificiis*, id est, de *Vaticiniis* ex *Victimarum extis* desumtis (4). Hoc enim studebat, ut, quod multi ante eum Imperatores jam conati fuerant, *Divinationes* et *magicarum Artium* insaniam, quâ ejus temporis homines praesertim correpti erant, et quarum causâ pleraque Sacrificia instituebantur, coërceret. Alio nempe consilio victimae raro caedebantur.

His autem prohibitis, reliqui tamen Ritus eo usque Paganis permissi erant, et Templa eorum patebant. Mox vero gravior tempestas Paganismo exorta est, annis nimirum 388 et 391. *Illo* Theodosius, Romae degens, multis Romanorum Nobilibus persuasit, ut Christi Religionem amplecterentur; *hoc* anno, monente item AMBROSIO, Sacrificia, Templorum aditum, et Simulacrorum Cultum, imo *omnes Ritus* interdixit, et eos, qui has Leges violaturi essent, Majestatis reos declaravit (5). Quamvis in *Occidente* ne sic quidem Cultus iste exstirpatus esset, in *plerisque* tamen, ac brevi in *omnibus* fere locis *Orientis*, finis imponebatur operi, a Constantino inchoato, adeo ut EUNAPIUS ingruentes hujus temporis

(1) RUD. p. 46 seqq., ubi, et p. 51 seqq., de magnâ AMBROSII eo tempore, cum apud *Gratianum*, tum apud *Theodosium I* auctoritate, exponitur. — BEUGN. I, p. 321, coll. 339, et 327 seqq.

(2) B. I, p. 347, coll. 331.

(3) B. I, p. 468, coll. p. 352 et 358 seq.

(4) Vidd. L. 1. C. Th. de Apostatis (XVI. 7), a. 381 *Orienti*, a. vero 383 (L. 2. C. Th. de Apostatis) *universo Imperio* data, et a. 391 repetita; — et L. 7. C. Th. de Paganis, repetita a. 385. Ad quas Leges conf. RUD. p. 48 seqq.

(5) L. 10 et 11 (anni 391), et 12 (a. 392), C. Th. de Paganis. Vidd. RÜD. p. 51—57, et BEUGN. I, p. 358 et 360.

calamitates *hominibus* imputet, *vestes nigras gerentibus*, sive *Monachis* (1).

Nec sine causâ sic ille judicabat. Horrenda nempe fuit Christianorum, suâ victoriâ immoderate exsultantium, rabies. Quantopere scilicet Episcopi in Oriente, inscio et invito Imperatore saevierunt, Monachis armatis, ac Militibus mercede conductis! Magnificum Edessae Templum, *Eulogio* Episcopo auctore, quanto furore spoliatum et dirutum! Quam atrox strages Alexandriae edita, quâcum conjuncta non tantum erat celeberrimi Templi Serapidis destructio, sed foeda etiam barbaries, quâ Schola evertebatur Canopi, ubi Literae aegyptiacae docebantur! Quam famosa denique *Marcelli* Apameae, et *Flaviani* Antiochiae Episcopi, facinora! Quae quum Palaestinae ac Phoeniciae Episcoporum aemulationem excitabant, non his, sed Indigenis, fortiter resistentibus, tribuendum est, quod eadem ipsis non pari ratione cesserunt (2)! Indigenarum enim permulti suis Sacris ibi adhaerebant, ac his, Theodosio mortuo, ac si cum eo Leges ipsius essent sublatae, novi animi additi sunt. Dictas igitur Leges Arcadius anno 395 confirmavit, ac novâ auxit, quâ omnes Sacrorum paganorum Ministri omnibus Privilegiis et immunitatibus privabantur (3). Ac jam Templorum per Palaestinam et Phoeniciam excidium, licet ne tunc quidem ubique locorum sine difficultate, juvante item *Joanne Chrysostomo*, consummabatur. Quae tunc, s. c. moliente Episcopo *Porphyrio*, ac favente Augustâ *Eudoxiâ*, per *Cynegium*, cum exercitu Constantinopoli in Palaestinam missum, Gazae ejusque Marnae Templo evenerunt, summam et Paganorum, et vero Christianorum asperitatem manifestarunt (4).

Sed in hoc tempore describendo diutius morari hic non licet. Ac dicta etiam sufficiunt ad ea tempora in memoriam nobis revocanda. Haec ergo si mente tenemus, Samaritanorum tunc viventium conditionem melius sane cogitare possumus. Etenim *Paganorum* quidem res iis *Edictis* et *praedationibus* maxime agebatur, sed quae Samaritanorum quies, quae securitas, quae vita, si Magistratus, ipsis malevoli, eos etiam in Legibus

---

(1) Beugn. II., p. 21, et I, p. 489, 492, coll. 402 seq. In *Occidente* Paganismum nondum profligatum fuisse, videmus ex ejusdem sub Honorio conditione, quo regnante adhuc florebat. Vid. Rüd. p. 77 seqq. In *Oriente*, multi Pagani, ex locis suis fugati, alio se contulisse videntur. Ex Syriâ et aliis variis Orientis partibus *Harranem* maxime refugerunt, ubi Paganismus seculo nono ad finem vergente adhuc florebat. Hoc tempore nimirum ibi vixit Abû'l-Hasan Tâbit, de quo exposuit Bar Hebr. in *Chron. syr.* p. 176 seq., ipsius Opera, quorum pleraque de Paganismo agebant, enumerans, et ex iis locum adducens, quo Paganismi continetur Elogium, cujusmodi Dio Chrysostomus *Orat.* XII, p. 403—405 seculo primo p. C. n. conscripserat. Dolendum est, illum Librum, et alia ejus generis Scripta, Christianis syriacis exosa quippe, ideoque ab ipsis neglecta, periisse. Horum tamen *memoratio* jam alicujus est momenti. Exinde nempe apparet, Literarum syriacarum studium, non a solis Christianis, ut nonnemini visum est, sed a Paganis etiam deditâ operâ excultum esse.

(2) Vid. Rüd., p. 59 seqq.

(3) L. 13 et 14 C. Th. de Pagan. Vid. Rüd. p. 70 seq.

(4) Rüd., p. 72 seqq., et Le Beau l. l. III, p. 180 seq.

castigari contenderent? Et ii quam facile in suspicionem adduci poterant v. g. *artium magicarum*, dum omnes, ipsorum Coetui non adscriptos, a Sacris ipsi caute abarcebant, et speluncas saepe adibant, ut conventus ibi haberent, et circumcisionis ritum celebrarent! Si autem Magistratus isti sic molestias iis inferre possent, quanto gravioribus vexationibus et calamitatibus in mediis iis tumultibus obnoxii fuerint, quum indomitae christianorum Zelotarum turbae, isto inflammatae furore fanatico, omnia caedibus incendiisque replebant. Ista agmina, quae, si Christi causam modo sibi agere viderentur, quaeque licita sibi existimabant, in Paganos non tantum, sed in *alios* item irruisse, disputatione non indiget. Ac vere RÜDIGERUS (1), *non solum*, inquit, *in templa spolianda diruendaque monachi incubuerunt, sed ubique discurrentes et sacrificiorum fumum odorantes, villas quoque paganorum, victimas caesas falso praetexentes, depraedati sunt, rusticorum penus vacuarunt, multos etiam ecclesiae nomine praediis paternis, sacra esse dicentes, expulere, neque injuriam passi monachos ad episcopum reos ducentes quicquam profecerunt.*

---

His de *Paganis* praemissis, de Samaritanorum conditione sub Imperatoribus a Constantino ad Arcadium usque, quatenus haec ex *illorum* vicissitudinibus illustrari possit, quodammodo judicare possumus. Hanc autem quo plenius cognoscamus, *Judaeos* item attendamus. De his vero disseramus ita, ut, de iis exponentes, alia item, quae eodem tempore acciderunt, et ad Samaritanorum vicissitudines sive pertinent, sive ipsas explicant, brevitatis causâ uno tenore hic memoremus. Hanc disquisitionem absolvemus regno Theodosii II, quo usque extendi videtur narratio, Codici scaligeriano inserta, de quâ porro agemus.

De iis, quae Constantino regnante, Samaritanis evenerint, nihil innotuit. Neque ea, quae in Libro Josuae traduntur, ad hoc tempus referri posse videntur. *Temperantiae* autem illius ratione habitâ, Samaritanos non sollicitatos fuisse, conjiceres. Attamen quominus sic statuamus, impedit *Judaeorum* iis temporibus agendi ratio. Hi nempe, progressus Religionis christianae indigne ferentes, tumultuati sunt. Samaritani an idem fecerint, non constat. Sed Leges, quas de *illis* Imperator tulit, si *his* etiam praescriptae sint, quod verisimile est, *hos* quoque prohibuerunt, ne Rei christianae progressibus se opponerent, ac suam ipsi Religionem inter suos servos propagarent (2).

Multo severior non in *Paganos* tantum, sed et in *Judaeos* erat Constantini Filius, ejus-

---

(1) L. l., p. 68 et seq, ubi attulit LIBAN. *Pro Templ.* ed. REISK. II, p. 164.

(2) LE BEAU l. l. I, p. 121 seq.; D. H. LEVYSSOHN. l. l. p. 22 seqq.

que in Oriente Successor, Constantius (337—361). *Consortium* hic proscribebat *Judaeorum cum muliere christianâ*, ac Legem de *Servis* ante datam, acuebat. Hujus tamen majoris severitatis Judaei ipsi fortasse fuerunt auctores. Seditione saltem Caesareae, in Palaestinae urbe, commotâ, tum in alios ii, tum in Samaritanos etiam saevierunt; quo factum est, ut anno 339 gravem Gallus vindictam sumeret, utque ea urbs, aliaque loca Palaestinae gravissime affligerentur (1). Verum non modo in eâ seditione, et Galli expeditione, Samaritanis multa damna illata sunt, sed etiam Magistratus romani magnis eos affecerunt injuriis, quae quomodo Samaritanorum in Scaligeri Codice dicta illustrent, mox videbimus. Istam autem Magistratuum hoc tempore tyrannidem, observatu dignissimam, Rüdigerus etiam descripsit, cujus verba, quia Dissertatio paucis, credo, praesto est, hic inserere liceat. »Erant," inquit (2), »in Oriente jam a primis Constantii temporibus improborum magistratuum et officialium omnia plena. Eunuchi et alii amici »avari et crudeles, quorum ingenti turba Constantius circumdatus erat, nihil omittebant, quo ejus gratiam consectarentur et avaritiam suam explerent. Dum enim imperatori, ubique conspirationes odoranti, semper aliquid funesti nunciantes monstrabant, »quanta cura ejus saluti providerent, simul fortunis reorum inhiabant. Provinciarum »judices, orientalium praesertim non pauci, dignitates suas magno pretio ab eunuchis »emerant, non Christiani, non pagani, sed flagitiosissimi homines, praeter lucrum nihil »cogitantes. His accedebat alia pestis, Curiosi (vid. Vales. ad Ammian. XV. 3. 8), genus Agentium in rebus, quorum multa millia Constantio imperatore in omnibus orbis »Romani provinciis dispersa erant, quibusque praeter alia id negotii demandatum erat, »ut quicquid provinciales contra jussa imperatoris molirentur, ad judices deferrent. Sed »delatores isti perniciosissimi in quibusvis aliis criminibus accepto pretio conniventes, »nihil studiosius agebant, quam ut cives locupletes laesae majestatis reos facerent; quo »nihil facilius, cum illa Constantii edicta latissimum delationibus campum aperuissent. »Quicunque igitur oracula aut vates consuluisse, aut cum Magis commercium habuisse »deprehendebantur, statim a Curiosis in judicium rapti, in carceres detrusi, et a carnificibus nunquam otiosis crudelissime torti, postremo necabantur, aut deportabantur, aut »fortunis omnibus spoliati dimittebantur."

Breve Juliani regnum iis, qui aliam quam christianam Religionem profitebantur, faustum, *Judaeis* item erat propitium. Quae his ille concesserit, notum est (3). Bona tamen, quae ex Imperatoris erga eos benevolentiâ, et injurias ante illatas compensandi ac res in integrum restituendi studio, in *Samaritanos* redundaverint, neque hi ipsi, neque alii Scriptores memorarunt.

---

(1) Le Beau I, p. 405, Levyssohn l. l., p. 24 seq.; Robinson l. l. II, p. 217.
(2) L. l., p. 36 seq.
(3) Le Beau l. l. II, p. 63 seqq., 126 seqq.; Levyssohn, p. 25 seqq.; Robinson l. l.

Nec quidquam de horum conditione traditur sub Joviano, per 8 menses regnante, sive sub Valente (364—378). Paganorum fautorem, Arianorumque vindicem, sed Christianis orthodoxis iniquiorem, eum novimus. Bella ceterum gessit perpetua, quae quum agerentur, Arabes, duce Reginâ Mâwia Palaestinam invaserunt, et in Phoeniciam usque penetrarunt, nec nisi post grave proelium recesserunt. Cujus expeditionis incommoda ut Samaritani sine dubio senserint, ita etiam salutarem vim experti sint Legum Valentiniani et Valentis, quarum hanc memorasse sufficiat: *unicuique, quod animo imbibisset, colendi libera facultas a me tributa est* (1).

Theodosius, qui Valenti in Orientis Imperio successit, bellicâ virtute insignis, non fortissimum modo se praestitit hostibus exteris coërcendis, sed terribilis etiam fuit Paganorum et Arianorum adversarius, quorum *hi*, sub Constantio et Valente in Oriente superiores evaserant, *illi* vero, ut supra narravimus, in nonnullis Aegypti et Syriae partibus, et tractibus, Libano finitimis, tunc etiam dominabantur (2). *Judaeos* contra Theodosius toleravit et tuitus est, ac benigne interdum tractavit. Cohibuit nempe, quominus Synagogae destruerentur ac spoliarentur, et ne quis Judaeos impediret, quominus in eas convenirent. *Curialium* tamen *Munerum* immunitatem *rescidit*, id est, non amplius permisit, ut Judaeorum causae a Magistratibus ipsorum ecclesiasticis secundum Codicem Legis mosaïcae agerentur, sed voluit, ut eae quoque ad communem Judicem deferrentur, et secundum Jus romanum de iis pronunciaretur. Cavit denique, ne Judaei et Christiani conjugiis inter se miscerentur, et Servos illi christianos circumciderent (3).

Eadem de *Samaritanis* statuta esse videntur, quod, collatâ Theodosii Lege *de Navicula̋riis*, et Honorii *de Militiâ Agentum in rebus*, in quibus, ut supra p. 40 et 49 vidimus, Judaei et Samaritani uno tenore memorantur, verisimillimum est. Ceterum, *horum* conditio, *Legibus* ergo non inferior adeo reddita, in mediâ tamen anarchiâ fere, dictis turbis a Christianis motis excitatâ, interdum sine dubio miserrima fuit. Quod nisi jam satis manifestum esset, insuper illustrari posset ex ante (p. 146) memoratâ injuriâ, Samaritanorum certo non minus, quam Judaeorum Synagogis illatâ, et Legibus tamen interdictâ.

Et hic rerum status non emendatus est sub Arcadio, ab anno 395—408 regnante, quem pater Theodosius *Orienti* praeposuerat, *Occidentem* Honorio tradens, qui huic ad annum 423 praefuit.

---

(1) L. 9. Cod. Th. *de malef. et math.* Vid. Levyssohn, p. 27, et Le Beau l. l. II, p. 343 seq. De Arabum expeditione Sozom. *H. E.* VI, 38; et Theoph. *Chronogr.* ex ed. Bonn. I, p. 92 et 100.

(2) Le Beau l. l. II, p. 452 seqq., 459 seqq., 470 seqq., 480 seqq., 513; III. p. 13—25, 28.

(3) Levyssohn. l. l., p. 28, 29, 62—64, 67—69. Le Beau l. l. II, p. 601—603.

Palaestinae nempe, ut universi Imperii conditio, imperante Arcadio tristis erat (1). De renovatis Christianorum turbis locuti sumus. Nondum vero de aliis calamitatibus, quae, in Oriente licet non inauditae, tunc tamen potissimum erant horrendae. Gravem puto locustarum plagam, ac morbum pestilentem, quorum memoriam Hieronymus, ipse testis, servavit (2).

*Judaeis* quidem, a quorum sorte sors Samaritanorum parum diversa fuisse videtur, Privilegia adhuc concedebantur, non eadem tamen in utroque Regno. Leges praesertim observatu dignae sunt, quae cum *Mercaturam*, quam Judaei factitabant, tum *Rem* ipsorum *sacram* tuebantur, tum quae Judaeis permittebant, ut *Servis* uterentur *christianis*. Lex porro Honorii anni 404, repetita a. 418, modo citata, et supra (p. 49) cursim explicata; qua *omnis Agentum Militia* iisdem et Samaritanis prohibetur, simul vero statuitur, *licere iis*, *qui in praesenti Agentes in rebus*, *vel Palatini sint*, *hanc Militiam percurrere et legitimis stipendiis terminare*. Quia ergo Judaei et Samaritani ad annum 404 ad omnes Militias admittebantur, neque tunc ab *Advocationis* et *Curiae Muneribus* abarcebantur, videmus, Imperatores ea aetate ab omni benevolentia Samaritanis, et maxime Judaeis praestanda, non alienos fuisse; tum etiam Viros in utraque Gente tunc item floruisse, ingenii laudibus non destitutos, qui si nempe non amplius reperti fuissent, ea Imperatores non statuissent (3).

Theodosius II, vir probus et pius, Arcadio succedens ab anno 408—450, *Paganismi* reliquias prorsus exstirpare conatus est (4). *Judaeos* tuebatur, sed etiam coercebat. *Samaritanis* autem non valde benignus erat. Ex Legibus ante commemoratis hoc manifestum, quibus his, et Judaeis item, *Causas forenses agere*, et *curialia Munera gerere*, ac *novas Synagogas condere*, interdixit, atque iis, qui ex his Gentibus ad Societatem christianam transiissent, maxime favit. Hae igitur Gentes si quo tunc favore gavisi sint, Imperator id non ideo fecisse censeatur, quia *ipsis* adeo esset benevolus, sed potius, quia, aequitatis in universum studiosus, innocentes tueri, injustitiam, injurias, verbo, illicita, arcere cupiebat (5). Religionem christianam totus vindicare et propagare studuit, ac singularis pietatis documenta tum ipse dedit (6), tum Aula universa, in primis vero Uxor Eudocia, quae (7), anno 435 sacro itinere in Palaestinam suscepto, Ecclesias, et alibi et praesertim Hierosolymis, splendidis muneribus liberaliter donavit, eoque

(1) Levyssohn. l. l., p. 30. (2) Le Beau. III, p. 242.
(3) Vid. supra p. 49, et Le Beau l. l. III, p. 128 seqq. Levyssohn, p. 31—36.
(4) Le Beau III, p. 310 seq. (5) Levyssohn l. l., p. 36—41; Le Beau l. l., p. 248 seq.
(6) Le Beau l. l., p. 316 seqq.
(7) Socrat. *H. E.* VII, 47; Theoph. ed. Bonn I. p. 143. Le Beau l. l., p. 426 seq., 485 seq.

postea rediit, ut, sacra loca adeundo, ac pia opera peragendo, totam vitam deinde ibi transigeret.

Haec tamen regio, ut aliae Imperii partes, tunc etiam vario modo affligebatur. Graves terrae motus, quibus alibi multae urbes vastabantur (1), omnibus ibi terrorem incutiebant. Et hae calamitates, quas *irati Numinis* testimonia esse opinabantur, Christianos non minus, quam horum adversarios, ad sua Sacra tuenda incitabant. Accedebat fervor Imperatoris christianam Religionem juvandi, omnium Christianorum aemulationem excitans, sed ob nimiam ipsorum severitatem, et vero audaciam, ac temeritatem, partes inferiores simul cogens, ut suam causam agerent, et datâ occasione vindictam sumerent. Sub tenui Imperatore, et in terrâ, ubi magnus erat hominum numerus, sorte suâ non contentorum, istiusmodi se defendendi et seditiones movendi conatus, non bene cedere vix poterant. His igitur opportunitatibus usi, non tantum anno 419 *Plinṭha* Gothus (2), sed postea etiam Pagani et Judaei tumultuati sunt (3). Ac Samaritanos tunc nihil egisse, quis credat, qui ea, quae deinde facta sint, attendit?

---

Periodo a Constantino ad Theodosium juniorem perlustratâ, Samaritanos jam audiamus, de suis vicissitudinibus iis temporibus, in Codice SCALIGERI capp. XLVIII—L, loquentes.

De 'Aqbūno Pontifice cap. XLVIII fit sermo; cujus bona publicabantur, et quo vivente duo Sacerdotum filii, Romanorum Sacra amplecti recusantes, interfecti, ac 36 Viri eruditi ad portam Nabolosí crucibus affixi esse dicuntur. Samaritanorum conditio miserrima tunc fuisse videtur. Affligebantur omnes, aditus ad Montem sacrum vi secludebatur, nullus amplius iis supererat Sacerdos, nulla Legis institutio. Quem rerum statum ad Babam usque durasse, perhibent, qui avem aeneam in Monte positam dejecerit.

De Babae Patre cap. XLIX exponitur. Hujus nomen erat Nathanāl, tres filios habens, 'Aqbūnum, Finhasum, et primogenitum Babam, cujus cognomen erat *Raba*. Hic quum natus esset, Pater diu haerebat, quomodo ipsum circumcideret. Romani enim eo tempore Samaritanis hoc interdixisse dicuntur, et delatores constituisse, qui caverent, ne hicce ritus clam ab iis institueretur. Praefectus porro ibi memoratur Regis romani, nomine *Ḡarmān Ar-rūmī*, vicinus Nathanālis, qui quum Nathanālem mandasse animadvertisset, ut filius recens natus in speluncam, haud procul Naboloso sitam, ad circumcisionem subeundam, tecte deduceretur, rem peragi non modo sinebat, sed opes etiam, quibus Pontifex ipsius gratiam sibi conciliare studeret, accipere nolebat, insuper promittens, se hanc rem ad Imperatorem non perlaturum esse. Pro quo beneficio *ad hunc*

---

(1) LE BEAU l. l., p. 330 et 457 seq.

(2) LE BEAU l. l., p. 337.

(3) LE BEAU l. l., p. 248 seq., 321, 409.

*usque diem*, ut ibi ajunt, quotiescunque circumcisionem instituant, bene ipsi precantur, Romanorum linguâ dicentes: *misereatur Deus Garmānis*.

Queruntur praeterea hoc et sequente Capite de *cibis corruptis*, de *clausis Synagogis*, de *aditu ad Montem sacrum prohibito*, fabulam de *ave loquente* addentes, de *carceribus* deinde, quibus includerentur, verbo, de *gravi persecutione*, cujus opportunitate multi Samaritani Religionem suam abnegassent, atque Idola coluissent. Ex quibus angustiis contendunt se evasisse post 20 annorum intervallum, Bâbâ auctore.

Hic tamen, ut cap. L narratur, *consilium* tantum *struxit*; quod peragendum commiserit Lawio, filio fratris, sive, ut in Pontificum Catalogo legitur, *filio Bâbâe*. Is nempe *Constantinopolin* mittitur, ut linguae institutorumque Romanorum, civilium et sacrorum, peritus fieret; quâ scientiâ comparatâ, rediret, et Samaritanos a Romanorum dominatione liberaret. *Monachi* igitur vestitu indutus, piam Christianum se simulans, proficiscitur, ac tantos brevi tempore in Disciplinis progressus facit, ut omnes Romanos non modo vitae sanctitate, sed eruditione etiam superet. Quibus cognitis, Imperator Archiepiscopum (!) eum creat, atque sub finem 13 annorum veniam rogantem Nabolo*sum* iter suscipiendi, magno cum agmine eo proficiscentem ipse comitatur. Quid autem Law*ius* deinde fecerit, non traditur. His nempe enarratis, Codex SCALIGERI absolutus est.

Quae cap. XLIX et L traduntur, *tempore* accidisse, *quo Res christiana in Imperio romano floreret*, non quidem agnoverunt, qui hunc Codicem legerunt, SCALIGER, J. H. HOTTINGERUS, RELANDUS, at nullo tamen dubio est obnoxium (1). Ne enim loquar de tabulâ chronologicâ Pontificum, quae hoc suadet, observasse sufficiat, sermonem ibi esse de *Constantinopoli*, ac talem urbis conditionem depingi, qualis *demum* fuerit *aetate* circiter *Theodosii II*, quum nulla ibi Cultûs antiqui vestigia amplius superessent, ac *sola* regnaret *Religio christiana*, et *Scholae christianae* ibi florerent (2). Qui fuerint *delato*-

---

(1) SCALIGER *de emend. Temporum*, p. 627, *incipit*, inquit, (Josuae Liber) *ab excessu Mosis, desinit infra tempora Imperatoris Hadriani*; et magis definite in *Epist.* Libr. IV. Epist. 362: *habemus Chronicon Samaritanorum ab excessu Mosis ad tempora Antoninorum Augustorum*. Eamdem sententiam professus est J. H. HOTTINGERUS in *Praef. Epitomes Libri Josuae*, p. 108, et in *Smegma Orient.*, p. 437, et RELANDUS (*Diss. Misc.* II, p. 4), quem secuti sunt SCHNURRERUS (*Repert.* IX, p. 44), BERTHOLDTUS (*Einl.* II. p. 870), et EICHHORNIUS (*Einl.* III. p. 413), historiam in eo Chronico continuari existimantes *ad tempora Alexandri Severi*.

(2) De his vidd. VON SAVIGNY *Gesch. des R. R. im Mittelalter*, Tom. I, p. 396. Anno nempe 425 Scholae publicae Constantinopoli Lege constitutae, et Doctores creati sunt, publicis stipendiis fruentes; quorum *viginti octo* Linguam et Literas graecas et latinas, *unus* Philosophiam, et *duo* Jurisprudentiam docerent (Vid. L. 3. *Cod. Theod. de stud. liberal. urbis Romae et Constantinop.* (14, 9), et ad h. l. Comment. GOTHOFREDI. Locus item exstat in *Cod. Just.* 11, 18). In Scholis *Artium* Disciplina erat bipar-

*ves*, sive *custodes* (cap. XLIX memorati), ad januas Samaritanorum positi, ut circumcisionem prohiberent, ex iis apparet, quae de pravâ rerum publicarum conditione, regnante Constantio, ex Rudigeri descriptione p. 148 attulimus. Ac *Garmān* iste *Ar-rūmī* fortasse idem est atque *Germanus*, Episcopus neapolitanus, qui Concilio nicaeno primo anno 325 interfuit (1). Hic saltem eodem tempore vixit, quo Nathanāl Pontificatum gesserit (333—365). Garmān ille deinde vocatur قسيس, quo titulo ab Arabibus ornantur etiam *Episcopi*.

Neque miramur, hic eum fingi *summi Magistratûs* partes Nabolosi agentem. Noster Auctor nimirum, haec scribens, *magnam* cogitavit, quâ *deinde* Episcopi in Imperio romano instructi erant, *auctoritatem*, et hanc ob causam Germanum consideravit, tamquam summum in Rep. Virum. Postea enim Episcoporum mandatis Magistratus civiles obedire debebant, et ipsos suis auxiliis juvare, eorumque in judiciis effatum tamquam supremum revereri (2). Haec ergo perperam hic ad Constantii tempora transferuntur. Tunc enim, licet multi Episcopi, datâ opportunitate, majorem potestatem sibi saepe arrogarent, summâ eâ auctoritate, quam diximus, nondum gaudebant legitime. Munera majora et Provinciarum administratio, ut supra (p. 143) vidimus, tunc Romanorum Nobilibus mandata erant, Paganismo maximam partem addictis, sed opibus et eruditione Christianis superioribus, quorum major pars eo usque constabat hominibus inferioris classis.

Et haec disputatio nos ducit ad singula in Samaritanorum dictis accuratius consideranda. In his enim vera cum falsis et fictis conjuncta sunt, ut *multis nulla* fides haberi possit. Videntur haec desumta esse ex *Libro Annalium pontificalium*, exceptis iis, quae in fine cap. XLIX, et in principio capitis L leguntur. Hic nempe ex aliis fontibus res, ante jam narratae, repetuntur, et in cap. L miris fabulis, quae ex traditionibus circumlatis oriundae sint, insuper augentur. — Illius autem Libri Annalium pontificalium, arabice conscripti, mentio fit in cap. XLVII (in Cod. scalig. p. 246) his verbis: وكتبنا سنين حياة الامام الكبير ونسبة من عقبون الامام الكبير, id est: *et conscripsimus annos vitae summi Pontificis* (h. e., *summorum Pontificum*), *et successionem ab Aqbūno, summo Pontifice.* Auctor, ibi ipse loquens in alio Opere, quod post *Annales* eos *pontificales* scripsit, ad hos Annales componendos usus esse videtur, sive ipsis authenticis Samaritanorum Annalibus pontificalibus, sive Libro de Samaritanorum Pontificibus exponente, quem, quia samaritanice conscriptus fuerit, ipse verterit, et auxerit. Hic enim

---

tila, in *trivium* et *quadrivium*, quorum illud complectebatur *Grammaticam*, *Rhetoricam*, *Dialecticam*. Ab his Scholis porro diversae erant *Scholae ecclesiasticae*, sive *theologicae*. Variae hae Scholae spectantur; ubi Lawius *Scientiarum* studio Constantinopoli operam dedisse dicitur.

(1) Reland. *Palaest.* p. 1009.

(2) Le Beau l. l. I, p. 283 seq.

Liber samaritanus, aut Annales illi authentici, praeter jejunam nominum et annorum enumerationem, non multa complexi esse videntur, quae Pontificum vicissitudines, et Gentis ipsorum temporibus conditionem illustrarent. Haec ergo Scriptor arabs quum ex traditione vigente amplificaret, ac suis verbis, et orationibus inserendis, exornaret, in errorem ipse nonnunquam incidit, et *commenta ridicula* subinde tradidit. Quis quaeso credat, Lawi*um*, omnes, ut ibi fertur, Romanos eruditione brevi tempore superasse, et ipsum Archiepiscopum creatum, ad summum, ut ajunt, in Regno romano locum evectum esse, ac Romanos, imo ipsorum Reges, eum de quibusvis rebus publicis gerendis, ac de coronâ concedendâ, consuluisse; et eumdem Nabolos*um* proficiscentem, Imperatorem cum magno exercitu comitatum esse? Iis, in quibus *lapsus est*, primum annumeretur dictio, quam verbotenus ex fonte descripsit, formulam dictam, quâ *Garmāno* bene precantur, in circumcisione usitatam fuisse *ad hunc usque diem.* Nam, licet a Samaritanorum agendi ratione non alienum sit, quod Viros, qui ipsorum Genti benefecerint, impense celebrant, et eorum memoriam diu servant, fierique igitur possit, ut eam formulam aliquando usitaverint, vix tamen credibile est, eos ipsâ sub Moslimorum dominatione usque usos fuisse. Alii errores orti sint, sive ex fontibus non accurate scriptis, sive exinde, quod hos noster perperam in suos usus convertit: opinio v. c. Nathanāl*em* sub *uno* tantum *Imperatore* suo Munere functum esse. Res porro *interdum turbantur*, et *anachronismis*, ut in iis, quae de Episcoporum auctoritate modo diximus, obscurantur. Sic memoratas item cap. XLIX exeunte, calamitates, *per 20 annorum spatium* continuatas esse, contendit Auctor; de quâ temporis definitione, *sic ab eo* determinatâ, quid judicandum sit, dictu est difficile. Fieri sane potuit, ut aliae item afflictiones, quae Samaritanis variis temporibus evenerint, quarum vero obscura, nec vivida amplius, memoria Genti inhaereret, ibi in unam Nathanāl*is* aetatem referantur, quia *haec* etiam calamitosa fuerit. At quoniam *tempus sic definitum*, et ea determinatio a nostro Scriptore ex suis Fontibus fortasse sumta est, *certae quaedam calamitates* hic indicari videntur. Itaque intelligam injurias, quas perpessi sint, regnante Constantio (337—361), cujus aetate Samaritanos male habitas esse, vidimus. Quae Imperatori ibi adscribitur *ciborum corruptio*, petulantiae imputetur *militum* romanorum, qui, quum gravia Imperatorum Edicta exsequerentur, suis ea vexationibus duriora reddebant. Ipse tamen Imperator Synagogas claudi jusserit, et publicos conventus interdixerit, quo facto Samaritani, qui circumcisionem *in Synagogâ* peregisse videntur, in speluncâ, ubi jam congregarentur, eam instituerint. Hoc si statuitur, apertum est, quare Nathanāl filium, quem *domi insciis Romanis* circumcidere potuisset, *foras* duxerit. Non enim credibile est, Romanos post Edictum Hadriani, frustra tunc promulgatum, et deinde revocatum (vid. p. 131 et 136), circumcisionem vetuisse, quam scilicet, infractâ Lege, quotidie clam instituere poterant.

Auctor ergo, si, *20 annos* memorans, calamitates spectat, Samaritanis a *Magistratibus romanis* illatas, et opportunitate expeditionis, quam Gallus anno 339 suscepit, inflictas, ac Leges si cogitat severiores Constantii, mitioribus Juliani (361—363) Decretis abrogatas, tempus interjectum *viginti* annorum spatium non multum excedit.

Haec autem definitio, satis igitur accurata, in concordiam redigi nequit cum aliis ejusdem Scriptoris verbis, quae leguntur cap. XLVII et L, ubi res Samaritanorum in melius demum conversae esse dicuntur *Pontifice Bābā post Lawīi in patriam reditum*; quem inter et ipsius abitum, secundum cap. L, anni 13, at sine dubio multo plures, intercedebant. Videtur ergo Scriptor arabs cogitasse cum Lawīi reditu *annos viginti* illos esse absolutos, et sic (nam eorum temporum historiae prorsus rudis erat), Juliani cum Theodosii II regno revera confudit, atque 50, et quod excurrit, annorum spatium transiit.

Neque etiam de Constantii, Julianive, aut Theodosii II, regno verba adeo valent, ab eo Scriptore Bābāe tributa, *de Regum multitudine, qui eo Pontifice Regno romano praeëssent.* Querens enim de Romanorum injuriis, atque aetate improbâ, haec etiam is dixisse fertur cap. L, p. 254: وتعلمون ان — ملوك كثير لهم. *Caesares* ibi sine dubio spectat *eodem tempore aliquando simul regnantes*, quorum alii aliis amplissimi Regni partibus erant praepositi, ac multi saepe mutuâ aemulatione incitati, tamdiu bella invicem gerebant, donec adversarium devicissent. Hisce vero turbis quia tempora potissimum notata sunt, Constantino Magno anteriora, Scriptor noster, qui ipsas in Babae aetatem, illis temporibus multo recentiorem, transtulit, hanc orationem fingens, in gravem anachronismum iterum incidit (1).

---

(1) Orientales jure sic locutos esse de Regni romani conditione, cuique in oculos incurrit, qui eorum temporum Historiam perlustrat; quam si Scaliger et Relandus, ceterique, quos supra diximus (p. 152), cum istâ *Regum multorum mentione*, l. l. Libri Josuae obviâ, contulissent, non credam eos, in opinionem incidisse, hunc Librum, sive *Antoninorum*, sive *Alexandri Severi* aetate, absolvi. Huic scilicet sententiae Historia minus favet, quam si ex nostrâ interpretatione tempora l. l. designantur iis *posteriora*. Non enim iis verbis *mos* perstringitur *Imperatorum, qui vivi alium assumebant Caesarem*, sed *anarchia, ex multorum simul imperantium tyrannide orta*, quae demum *post Antoninos*, et gravius etiam *post Alexandrum Severum* ingruebat, sed praesertim notari meretur *post Decii et Aureliani cladem*, et *postquam Diocletianus regno se abdicaverat.* Post *Commodum* enim *per 3* quidem *menses fere* regnavit *P. Helvius Pertinax*; quo trucidato *anno 193*, *Romae* creatur *M. Didius Julianus*, in *Syriâ Pescennius Niger*, in *Britaniâ Albinus*, in *Illyriâ Septimius Severus*; et hic etiam, solus tandem superstes, filios *Antoninum Caracallam*, et *Antoninum Getam* Caesares assumit; atque hi, patre a. 211 mortuo, Regnum inter se dividunt, prior vero, fratre haud ita multo post occiso, solus sed per 6 annos tantum regnat; — brevius tamen Regnum est *Macrini*, a. 218 motus ab *Heliogabalo*, cui porro ab a. 222—235 *Alexander Severus* succedit. Verum post eum turbae sequuntur graviores. *Alexandro* occiso *Maximinus* creatur; qui quum omnibus displi-

Hi autem errores et anachronismi, quos recentior hicce Scriptor commisit, non sunt ejusmodi, ut omnia, quae capp. XLVIII—L narrantur, et ea maxime, quae *ex aliis Scriptis* ille petiit, in dubium vocare cogamur. *Aqbūnus* nimirum, de quo cap. XLVIII sermo fit, est *Aqbūnus* II, ab anno circiter 310—333 Pontificis Munus gerens, diversus ergo ab *Aqbūno*, *Hadriani* aequali, de quo loquitur cap. XLVII. Quid ergo obstet, quominus statuamus, *Maximinum*, quem *Galerius* Caesarem creavit, et Provinciis asiaticis donavit, et qui tum alias terras, tum etiam Palaestinam, fame et peste jam exhaustam, caedibus replevit (vid. supra p. 141), — quid impedit, inquam, quominus ponamus eum, ejusve exercitus, ipsius exemplo ac jussu, tyrannidem exercuisse, cujus specimina cap. XLVIII exhibentur? Bona intellige Pontificis publicata, Sacerdotumque filiorum, Cultum antiquum romanum accipere nolentium, stragem, multorum porro lapidationem, et crucis poenam, ad Nabelosi portam, Viris 36 eruditis illatam, indeque ortam, tum Sacerdotum, tum institutionis defectum, ac revera *Aqbūni* monita, ne paternam Samaritani religionem desererent.

Filius ejus, *Nathanāl* I, de quo caput XLIX exponit, Pontifex patri *Aqbūno* succedit ab anno circiter 333—365. Aequalis ergo fuit *Constantini*, et *Constantii*, ac simul etiam *Germani*, Episcopi neapolitani, qui quo severiores *Constantii* Leges fuerint, eo

---

raret, a. 237 *Gordianus*, pater et filius, Augusti proclamantur. Quibus a *Cappelliano* anno sequenti devictis, a Senatu creantur *Pupienus*, *Balbinus* et *Gordianus III*; quorum hic, prioribus interfectis, solus in Regno confirmatur, quod tenet ad annum 244. *Julius Philippus*, qui ipsum occidit, vicissim a. 249 in proelio perit, commisso cum *Decio*, anno 251 item a *Trebonio Gallo* clade affecto. Hic, filio *Volusiano*, filioque Decii, *Hostiliano*, Caesaribus assumtis, a. 253 *Aemiliano* etiam cedere cogitur, at eodem anno hic quoque devincitur a Galli vindice *Valeriano*; quo a Persis anno 259 capto, filius *Gallienus* ad annum 268 vivit quidem, sed *nomine* tantum regnat. Periodus haec est, quae, summâ anarchiâ insignis, a 30 tyrannis merito nomen habet. Tunc plerarumque Provinciarum Legati, spreto Imperatore, Augustos se ipsi proclamant, ac 19 Caesares saltem unà regnant. Turbas componit a. 268 *Aurelius Claudius*, cui, a. 270 mortuo, *Aurelianus* per 5 annos succedit. Sed res jam iterum misere turbantur. Post 6 mensium interregnum *Tacitus* et *Florianus* brevissime dominantur, a. 276 moti a *Probo*, cui, a. 282 interfecto, succedit *Carus*, socios sumens *Numerianum* et *Carinum*. Hic biennio post solus superstes, subigitur a *Diocletiano*, qui, a Legionibus chaldaïcis electus Imperator, Regni socium adsciscit *Maximianum*. Quo melius ille contra alios, in his *Carausium* in *Britanniâ*, *Julianum* in *Africâ*, *Achilleum* in *Aegypto*, Augusti titulum jactantes, se ac socium tueretur, *duos* praeterea *Caesares* creare cogitur, *Galerium* et *Constantium Chlorum*, adeo ut 7 *Caesares* tunc *simul* essent. *Diocletiano* a. 305 imperio se abdicante, *Galerius*, et *Constantius* rebus publicis praeponuntur, qui quum Caesarem sibi elegissent, *Flavium Severum* et *Maximinum*, Regnum in 4 partes divisum est. *Constantio* a. 306 mortuo, filius succedit *Constantinus m.*, principatum primum gerens *Britanniae*, *Hispaniae*, et *Galliae*, dum 5 alii Caesares reliquis Regni partibus praeërant. Ex his anno 313 *Licinius* solus supererat, quo a. 323 devicto, Constantinus *totius Regni* romani imperium nactus est.

mitius ac benignius erga Samaritanos se gesserit, quam ob causam, ut vidimus, magnam apud hos gratiam iniit. Sic ergo res narratas considerantibus, et in hoc Capite vera maximam partem traduntur.

Quid filius *Bāba* ipse egerit, excepto consilio, quod struxit, et suis suasit, Gentem ope *Lawī* ex augustiis liberandi, in Scaligeri quidem Codice cap. L non traditur; at plura tamen ipsum fecisse, conficeres ex laudibus, quibus plus semel cap. XLVIII et seq. ornatur. Ibi nempe *finem imposuisse* dicitur *calamitatibus, quas Israëlitae patiebantur, et auctor fuisse eorum* (malorum), *quae Romanis evenerunt* (c. XLVIII); nec tantum *illos eripuisse fertur ex potestate* (Regis) *improbi* (c. XLIX), sed et *avem aeneam frangi jussisse, quae in* (sacro) *Monte posita erat* (c. XLVIII). Quibus accedit, quod Bernardus ad Pontificum Catalogum observat, *Regem* eum dici, *et Sacerdotem durante vitâ*. Haec vero quomodo secum invicem concilientur, non video. Nam si vel sumis, eum *durante vitâ* cum Sacerdotio *Praefecti* Munus gessisse, *Praefectus* tantum esse potuit, *a Romanis constitutus*, isque *Romanorum nomine*, *quae ipsis placerent, agens*. Verum si *hoc* Munus in eum collatum sit, ea, quae de eo Codice Scaligeri traduntur, ipsi non conveniunt. Ibi a suis vocatur *Dominus noster* (سيدنا), ut reliqui Pontifices, ac laudatur tantum ob praeclaras animi ingeniique dotes. Ac *regiâ* qualicunque tandem dignitate eum non instructum fuisse eo tempore, quo *Lāwīum* Constantinopolin miserit, inde patet, quod id agens, *dolo* utebatur *ad Gentem a Romanorum dominatione liberandam*. Si contra *Regis* titulum aliquando *usurpaverit*, turbarum occasione v. c., quas Arabum invasio, regnante Valente, in Palaestinâ excitaverint, istam temeritatem, et vero rebellionem, Romani non inultam habuissent, nec Regulum amplius sivissent Pontificis officio fungi, quod tamen deinde adhuc gessit, quia Pontifex *Lāwīum* non diu ante regnum Theodosii II, ut ex supra dictis consequitur, Constantinopolin misit. Itaque quae *Bāba ipse* revera *gesserit*, potius in medio relinquam, donec plura de eo Pontifice ad nostram notitiam pervenerunt. De *tempore* tantum, quo Munere sacro functus sit, si in rebus prorsus incertis conjecturâ uti liceat, chronologicis rationibus ductus, statuam, *Bābam* per 40 circiter annos, ad annum igitur 405, summum Sacerdotem fuisse, ac *Lāwīum* anno fortasse 400 profectum esse; mox vero Pontificatum ad *Lāwīi* reditum vacasse per 30 circiter annos, qui sic 39 annis, ab a. 435—474 Sacris praefuerit. *Diu* enim eum abfuisse, exinde efficias, quod Constantinopoli primum Scholas frequentavit, et postea ante quam Archiëpiscopus creari posset, alia Munera ecclesiastica minora aliquamdiu obire ipsum oportebat. Quid de ejus Archiëpiscopatu existimandum sit, quis dicat? Sicubi scilicet hac dignitate ornatus fuerit, *aliud* sine dubio *nomen* assumsit. Et hoc Munus gessisse dicitur tantum per 13 annos. Quibus elapsis, in Palaestinam redierit, et quo cum comitati sint (quos, utercunque sumitur, traditio cum

ipso Imperatore confudit), sive *Cynegius*, de quo p. 146 locuti sumus, sive *Eudocia*, Uxor Theodosii II, quum primâ vice eo tendebat (1). Rerum samaritanarum, eo adventante, conditio in Codice SCALIGERI ita depingitur, ut credas, *Bābam jam diu mortuum esse*, ac nullum Pontificem Sacris ipsorum tunc praepositum fuisse; quâ ex re hocce Munus *aliquamdiu* vacasse, sane apparet.

De eo autem ejusque rebus gestis, quodammodo fortasse judicare potuissemus, si narratio, in quâ mediâ exponendâ Codex noster absolvitur, ad finem perducta fuisset. Nunc igitur ab omni disputatione potius abstinemus. Rei quippe eventus jam latet, et singularia, quae *Lawius* in Samaritanos contulerit, beneficia, gravi dubio obnoxia esse, ac cogitata libertas, quae ipsis recupaverit, fabulam profecto referre videntur. Scilicet fieri quidem potest, ut Religionem ille christianam simulate amplexus sit, et hanc fraudem caute subtiliterque celaverit; ut sic ad summa usque ecclesiastica Munera temporis decursu evectus sit, quin Archiëpiscopus Neapolin adierit, splendidâ pompâ stipatus, quae tamen minus in ipsius, quam in eorum gratiam, qui ipsum comitarentur, pararetur: praeterea, ut Episcopatûs neapolitani honore ornatus, *Germani* instar, Samaritanis benevolus fuerit. Verum ultra procedere, non licet, nisi terminos superemus rerum verisimilium. Nam dolo detecto, imo ortâ suspicione, *Christianum veri nominis eum non esse*, loco confestim motus fuisset, et quo plura beneficia in Gentem conferre studuisset, eo majora damna et graviera detrimenta in ipsam certo intulisset.

---

De Samaritanorum vicissitudinibus sub *Marciano* (450—457), et *Leone* (457—474) nihil innotuit. Ille, qui Uxorem duxit Pulceriam, Theodosii Sororem, multis nominibus de Imperio meruit, et Christianis licet prae ceteris favens, reliquorum tamen Civium saluti simul prospicere studuit (2). Palaestinam, pluviae inopiâ eâ aetate pressam (3), Dorotheus, hujus terrae Praefectus, ab Arabum invasione defendit (4), ibique tumultum sedavit, per biennium inter Christianos a Monacho Theodosio motam (5).

*Leoni*, homini avaro et crudeli (6), successit *Zeno* (474—491), saevitiâ multisque

---

(1) Sic nobis statuentibus, non opus est, ut putemus Samaritanos hanc rem prorsus *finxisse*, et principis Viri, magnâ cum pompâ Palaestinam adeuntis, mentionem unice repetendam esse exinde, quod Helenae, matris Constantini m. in hanc regionem adventus Palaestinensium memoriae alte infixus fuisset, cujus iter descripserunt EUSEBIUS *de Vitâ Const.* III, c. 42 et 46, SOCRATES *H. E.* I, c. 17, et SOZOMEN. *H. E.* II, c 1 et 2.

(2) LE BEAU, l. l. III, p. 492 seq.

(3) LE BEAU ibid., p. 563.

(4) LE BEAU, ibid., p 526.

(5) LE BEAU, ibid., p. 540 seqq.

(6) LE BEAU, ibid, p. 566 seq.

turpissimis vitiis famosus. Seditiosorum animos, quos Marcianus quodammodo pacaverat, Leo vero denuo exacerbaverat, Zeno magis exagitabat. In eum ergo, quem omnes fere indigne ferebant, multi, rerum novarum cupidi, conspirarunt. Anno 476 Basiliscus quidam illius loco Imperator creatus est, at sequente anno devictus (1). Anno porro 484 Illus seditionem movit, et Leontium praefecit Imperio, in quo tamen Zeno mox restitutus est (2). Utraque haec rebellio, quae, in ipso Palatio parata, universum concussit Regnum, Provinciis rebellandi signum dedit. Gravis v. c. Antiochiae anno 486 tumultus exstitit, qui, omnibus fere Judaeis ibi tunc trucidatis, hanc Gentem ad summam desperationem adduxit (3). In Palaestinâ, quorsum magna Illiani exercitus pars post cladem confugerat, et ubi Illus ipse deinde latrocinia agebat, anno 484 Samaritani turbas jam moverant. Die Pentecostis ad Montem sacrum armati concurrebant, Neapolin invadebant, multos Christianos, quos in Ecclesiam congregatos invenerant, interficiebant, Episcopum Terebinthium, Mensae sacrae adstantem, gladiis vulnerabant, digitos ei amputabant, res sacras polluebant, ac Latronum Praefectum, Samaritanum quemdam, *Justam* sive *Justasam*, ut ab ipsis Samaritanis vocatus esse videtur, Regem creabant. Hoc Duce, Caesaream, ut Christianos inde expellerent, profecti sunt. Magnus ibi Christianorum numerus perit, Ecclesia sancti Procopii incendio deletur, ibique Justasa, Principem Palaestinae se gerens, et Triumphum agens, Ludos circenses instituit. Non tamen diuturnum fuit ejus imperium. Asclepiades, Palaestinae Dux, et Rheges, cui mandatum erat, ut Latrones exstirparet, cum copiis adventantes, illum devincunt. Terebinthius interea Constantinopolin se converterat. Hujus suasu bona principum Samaritanorum publicantur, valido praesidio instruitur Neapolis, Gens universa ad arma amplius gerenda inepta declaratur, Temploque Procopii in Caesareae urbe restituto, Synagoga, quam Samaritani in Monte garizimitano tunc habebant, in Ecclesiam, Mariae sacram, commutatur, maceriâ circumdatur, ejusque custodia decem, ut ferunt, militibus committitur (4).

Samaritani, vi praepotenti jam succumbentes, tempus exspectarunt idoneum, quo libertatis recuperatio ipsis melius cederet. Fugati enim, nondum vero fracti erant. Romanorum conditionem debilitatam perspicientes, et ob cladem acceptam, et ob novas injurias, irati, ac suarum virium ipsi tunc conscii, seditionem renovare gestiebant. Sic Procopius, memoratis Zenonis de Samaritanis mandatis: οἷς δὴ, recte inquit, Σαμαρεῖται ἀχθο-

---

(1) Le Beau ibid. IV, p. 48 seqq., et 57. (2) Le Beau l. l., p. 94 seqq.

(3) Le Beau l. l., p. 100, et Joa. Malalae *Chronograph.* ed. Bonn. p. 389 seq.

(4) De eo tumultu conff. Justiniani aequales, Joa. Malalas, l. l., Libro XV, p. 382 seq., et Procopius, *de Aedificiis* V. 7, ed. Bonn. III, p. 324 seq. De eo praeterea loquuntur *Chronicon Paschale* ad annum 484, ed. Bonn. I, p. 603 seq.; paucis Abu'l-Faraj *Hist. Dyn.* p. 147 seq.; plenius idem in Opere syriaco (*B. H.* p. 79). Vid. etiam Le Beau l. l. IV, p. 101, coll. 286 seqq, et de Joa. Malalae aetate Dindorf. in Praef. ed. Bonn.

*μενοι ἤσχαλλον μὲν τὰ μάλιστα, καὶ δυσφορούμενοι ἀπηξίουν τὰ σφίσι παρόντα, δέει δὲ τῷ ἐκ βασιλέως δυσωπούμενοι σιωπῇ εἴχοντο* (1).

Ac Regno in Occidente anno 476 everso, Regnum in Oriente quidem erat superstes, sed Barbarorum invasionibus ita etiam vexatum, et internis tumultibus ita quassatum, multasque ob causas ita penitus enervatum, ut Despotismi rigore tantum contineri posset, qui si quando frena laxaret, aliisve negotiis distraheretur, seditio erumpebat. Aptam igitur huic rei occasionem, regnante *Anastasio* oblatam, Samaritani missam non fecerunt. Hujus nempe regnum (491—518) externis civilibusque bellis absolvebatur. Litigabantur inter se Orthodoxi et Haeretici, quibus posterioribus Imperator favebat. Hierosolyma, et Constantinopolis, perpetuis tumultibus agitabantur (2). Palaestina, et circumjacentes regiones, terrae motu, locustis, fame, afflictae, vexabantur insuper iteratis Arabum incursionibus (3). Istis temporibus (quo anno, non liquet), Samaritanorum turba, duce Muliëre, per devia in Montem sacrum de improviso adscendit, militum praesidium interfecit, Mariae Aedem cepit. Nullis vero sive aliunde, sive ex ipsâ urbe, auxiliis adventantibus, Procopius, Palaestinae Praefectus, hanc seditionem, occisis auctoribus, brevi composuit (4).

Multo gravior erat seditio, sub Justiniano orta. *Illum* tumultum pauci tantum excitabant, ac homines classis inferioris, quos, ut ex *duce Muliëre* apparet, furor tantum fanaticus adegerat; *hunc* vero Gens universa movebat, ac Viri peritiores, multis auxiliis instructi, prudentius ac summâ cum animi alacritate agebant. Postquam enim sub Justino I (518—527) sedatos se gesserant, anno 529 bellum exarsit. Justinianus nempe Legibus ferendis Rem publicam, quam imperium capessens, misere turbatam invenerat, in ordinem redigere, et Regni fines, urbibus condendis ac restituendis, et muniendis, a Persarum, Arabum, aliarumve Gentium impetu tutiores reddere studebat. Iis tamen Legibus Haereticos a se prorsus abalienabat, nec munitionibus Exterorum vim cohibere poterat. Bellum enim cum Persis, eo usque a Romanis sine intermissione fere gestum, novo cum vigore mox erupit: quâ opportunitate non melior sane ad injurias ulciscendas Samaritanis existere potuerat. Major nimirum copiarum pars, quae Palaestinam coërceret, Orientem versus se contulerat, ut Romanorum exercitum corroboraret. Proelio mox cum Persis commisso, Romani nihilominus fundebantur (5). Cum Samari-

---

(1) l. l., p. 325.

(2) Le Beau l. l. IV, p. 153 seqq., 156, 158 seq., 163, 222, 227, 235; Robinson *Pal.* II, p. 224 seq.

(3) Le Beau ibid., p. 164, 169. Theoph. l. l., p. 218, 221 seq.

(4) Procop. l. l., V. 7, p. 325 seq. Fr. Uhlemannus (*Institut. Linguae Samarit.* p. XIV), Cellario (*Collect. Hist. Samarit.* p. 23) perperam intellecto, scripsit Samaritanos tunc habuisse Ducem *Globum quemdam.* Sic Cellarius: *Globus quidam eorundem Samaritarum sub Anastasio montem subiit* cet.

(5) Le Beau l. l., p. 300 seqq.

tanis insuper alii etiam, factâ societate, se conjungebant. Praeter Judaeos, Haeretici, et in his Manichaei, Socii illorum fuisse dicuntur (1). Nec deërant Samaritanis auxilia Persarum, quibus ipsi polliciti erant, se opem esse laturos, et Hiërosolyma, atque universam Palaestinam tradituros, si Persae ipsos juvarent, et tuerentur. Samaritani promissis stetisse videntur. Multa millia eorum sub Persarum vexillis militasse dicuntur, eorumque Duces Persis suasisse, ne pacem, de quâ agebatur, cum Romanis facerent. Quod quum ad Romanorum notitiam pervenisset, et hi 5 Viros samaritanos primarios, ex Oriente revertentes, cepissent (2), tumultus, si ipse non ante jam initium ceperit, movetur. In Palaestinâ congregarunt se quinquaginta hominum millia, quorum major pars constiterit Samaritanis ruricolis, rudibus hominibus, Religionis antiquae tenacissimis, quibuscum alii, tum Judaei, tum Haeretici se conjunxerint. Rege creato *Juliano* quodam, Sabari filio, Samaritano, Latronum quondam Duce, Scythopolin ii tendunt, ibique Ecclesias incendio delent. Neapolin porro capiunt, Episcopum cum Presbyteris, quos inveniant, et alios Christianos centenos jugulant, atque Aedes sacras agrosque circumjacentes devastant. Mox Augustulus Neapoli Ludos circenses celebrat, quâ occasione etiam apparuit, quam graviter in Christianos exacerbati essent Samaritanorum animi. Finito enim certamine, Niceas Victor, ut praemium accipiat, ad Julianum accedit; qui quum *Christianum* eum esse, animadvertisset, medio Circo caput ipsi amputat (3).

Seditione auditâ, Theodorus, Dux palaestinensis, copias collegit, eique se adjunxit Abū Ḥarābus (ابو حراب), Palaestinae Phylarcha, qui Arabum palaestinensium principatum Romanorum nomine tenebat. His adventantibus, Julianus Neapolin relinquit. Proelium commissum, diu ambiguum (4). Tandem ille fugatur, capitur ipse et occiditur, et caput ipsius Constantinopolin mittitur. Samaritanorum multa millia cadunt (5). Reliqui in speluncas et montes vicinos aufugiunt (6), atque in loca remotiora Trachonitidis, antris, et Latronum latibulis famosae; et vix dubium est, quin multi ad Persas item se contulerint. Abū Ḥarābus denique praemii instar vigenti captivorum millia accepisse,

---

(1) Joa. Malal. p. 445, et Procop. *Hist. Arc.* cap. 11, ed. Bonn. Tom. III, p. 75 Praeter hos Scriptores, et alios mox laudandos, de eâ seditione cursim monuerunt Cedrenus, ed. Bonn. Tom. I, p. 646, et B.H. *Chron. syr.*, p. 83.

(2) Joa. Malal., p. 455 seq.

(3) Theoph. l. l., p. 274. Joa. Malal. l. l. p. 446.

(4) Procop. *Hist. Arc.* l. l., p. 75.

(5) Secundum Procop. l. l. *decem myriades.* Melius fortasse Joa. Malal. p. 447 *viginti millia.* Cyrillus Scythopolitanus, Justiniani aequalis, in *Vitâ Sabae* (Joh. Bapt. Cotelerii *Eccl. Gr. Monumenta*, Tom. III, p. 340), *πλῆθος πολύ* commemorat.

(6) Joa. Malal. ll., nonnullos evasisse dicit *εἰς τὸ ὄρος τότε λεγόμενον Ἀρπαρίζιν.* Leg. *Ἀργαρίζιν.* Intelligitur *Mons Garizim.*

eosque Persis, Indis, et Arabiae felicis incolis, atque Aethiopibus, vendidisse dicitur (1).

Multis Samaritanorum millibus sic partim occisis aut captis, partim in alias terras abductis fugatisve, plures tamen in Regno romano, praesertim in Palaestina, supererant, quam ut Justinianus, turbis cognitis, Samaritanos superstites non pervestigaret, et novam seditionem, si fieri posset, in posterum non prohiberet. Bassus ergo, Palaestinae Praefectus, quia non caverat, ne tumultus erumperet, et se propagaret, Munere movetur et carceri includitur. Ejus loco sufficitur Antiochenus quidam, Irenaeus Comes, Pentadiae filius, Magister Equitum, qui, postquam Samaritanos in loca, quorsum aufugerant, persecutus erat, multos interfecit, et gravibus alios suppliciis affecit. Scythopolitani vero quum Sylvanum, Virum principem, Christianorum inimicum, et Samaritanorum Socium, combussissent, Arsenius Comes, Sylvani filius, cum Uxore et reliquis cognatis, Christianos apud Imperatorem accusat, ac si primi ii, et praecipui seditionis auctores fuissent, quin Theodoram, Justiniani Uxorem in suas partes traducit. Haec consilia irrita reddidit Sabas, Monachus per totum Orientem ob vitae sanctitatem et miracula, quae fecisset, celebratus. Hic, anno aetatis 90° Constantinopolin profectus, impetravit, ut Ecclesiae devastatae (quarum quinque Neapoli) partim ex aerario, partim ex Samaritanorum facultatibus restituerentur; deinde ut Samaritani Neapoli ejicerentur, et ut Aedes Mariae renovata, validis munimentis instrueretur, quorum rudera hodieque supersunt (2).

Duras porro Imperator Leges deinceps tulit, sive renovavit, ut Samaritanorum Synagogae tollerentur, ipsique ab omni Reip. administratione pellerentur, et oneribus quidem, quae civitas imponeret, obnoxii, at omnium Privilegiorum expertes essent. De his, et aliis Legibus supra locuti sumus (3). Anno 551, intercedente Sergio, Episcopo caesariensi, hae postea mitigatae sunt. Anno vero 556, Samaritani una cum Judaeis tumultum denuo moverunt Caesareae, cujus auctores meritas poenas luerunt (4).

Teste Procopio (5), major Samaritanorum pars, regnante Justiniano, ad Societatem

---

(1) Joa. Malal., p. 447.

(2) Robinson *Palaest.* III. p. 319 seq. et 349; collato Cyrillo in *Sabae Vitâ* l. l., p. 346 seq.

(3) Vid. supra p. 50 seqq., cum quibus conf. Levysohn l. l., p. 44 seqq.

(4) Joa. Malal, p. 487 seq.; Georg. Cedren, I, p. 675. et Theoph. *Chronogr.* p. 355 seq. Perperam opinatus est Robinsonus (l. l., p. 350 not. 3), eam seditionem *non diversam* fuisse a bello anni 529. *Hoc* Malalas, Cedrenus, et Theophanes, *ante* enarrarunt, *illam* l. l. Non enim contemnendum est eorum Scriptorum testimonium, sive *Malalae* (vid. supra p. 159, not. 4), sive reliquorum, qui eo usi sint. Praeterea differunt *locus*, *et res gestae*. Vid. etiam Le Beau (ed. Paris. 1768. 8, quâ, reliquis voll. ed. recentioris carens, hic usus sum), Tom. XI, p. 65 seq.

(5) *De Aedif.* V. 7. ed. Bonn III, p. 326, et *Hist. Arcan.* c. 11, l. l., p. 75.

christianam transiit. At multi sine dubio hoc tantum *simularunt*. Ac parum fiduciae huic conversioni habitum esse, tum Imperator, munimentis condendis, et Legibus ferendis, tum aequales ejus, in his ipse PROCOPIUS (l. l. l. l.) manifesto declararunt. Vere omnino de simulatâ eà conversione in *Chronico paschali*, bello commemorato, quod ibi anno 530 gestum esse fertur, haec dicuntur: *καί τινες ἐξ αὐτῶν φοβηθέντες προσῆλθον ἐξ ἀνάγκης τῷ Χριστιανισμῷ, καὶ δεχθέντες ἐβαπτίσθησαν, καὶ ἕως τῆς σήμερον ἐπαμφοτερίζουσιν, καὶ ἐπ᾽ αὐστηρίᾳ μὲν ἀρχόντων σχήματι διεψευσμένοι ὑπούλως καὶ κακούργως ὡς Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς ἐμφανίζουσιν, ἐπὶ χαυνότητι δὲ ἀρχόντων φιλοχρημάτων Σαμαρεῖται καὶ μισοχριστιανοὶ καὶ ὡς μὴ γνόντες Χριστιανισμὸν, οὕτω διαπράττονται, τοὺς ἄρχοντας πείθοντες σαμαρειτίζειν διὰ τῶν χρημάτων* (1).

Ista Samaritanorum fallacia Justiniani Successorem, *Justinum* II (565—578) ita offendit, ut Novellam ederet CXLIV, supra p. 52 descriptam (2), et Edicta, a Patre sive mitigata, sive abrogata, renovaret. Ad majorem hanc severitatem ipsum, ut videtur, impulerunt, tum tumultus anni 556, tum novae turbae fortasse, ab illis excitatae. Eo nempe regnante, Samaritani, incolae Porphyreonis, oppidi ad radices montis Carmeli, Aedes Christianorum sacras invasisse, atque imagines laesisse dicuntur. Haec scilicet in Epistolâ memorantur, ad Justinum juniorem datâ, conscriptâ fortasse a Symeone quodam, quem multi confuderunt cum *Symeone stylitâ*; cui (sic ferunt) mandatum esset, eam rem ad Imperatorem *copiose* deferre, quia nempe Justinus per Paulum, Porphyreonis Episcopum, ejus rei jam certior factus erat (3). Hoc autem *Symeonem quemdam* revera, sive tunc sive alio tempore, fecisse, verisimile est, quamquam alii Scriptores, quantum scio, id non tradiderunt, quibus ea res, ut primum fortasse Imperatori, minoris momenti visa sit. At non unam ob causam dubitatur, an *Symeon stylita hanc Epistolam* scripserit. Ne loquar de *dubio Caroli magni* (4), observasse sufficiat, Symeonem stylitam, jam regnante Leone, anno 453, ut THEOPHANES, sive potius anno 464, ut *Chronicon paschale* refert (5), mortuum esse. Praelecta quidem est *ipsius* nomine Epistola in Concilio niceno II, anno 787 habito; sed quis nescit, Patres, qui ei interfuerunt, ibique Cultum Imaginum sanciverunt, et hunc tum *verbis*, quae ex Veterum undecunque collectis testimoniis petebant, tum *rebus in facto positis* (referendis scilicet rebus gestis eorum, qui ejus Cultûs adversariis restitissent, eosve poenis affecissent), probare et

(1) Ed Bonn. I, p. 619 seq.

(2) Conff. etiam *Decreta ecclesiastica*, quibus definitur, quid Samaritanis faciendum esset, qui ad Societatem christianam admitterentur, in COTELERII *Eccl. Gr. Monum.* III, p. 422.

(3) HARDUÏNI *Acta Conciliorum*, Tom. IV, p. 290 seq., coll. p. 781.

(4) BASNAGE l. l. I, p. 225.

(5) THEOPH. l. l. I, p. 173 seq.; *Chron. pasch.* I, p. 593.

commendare studuerunt, omnem *κρίσιν* neglexisse, et de verborum sensu, ac documentorum integritate et authentiâ parum sollicitos fuisse?

Ex hac autem Epistolâ, quicunque eam scripserit, et ex aliis indiciis quam plurimis, manifestum est, Samaritanos, non minus quam Judaeos, communi Romanorum contemtui fuisse deditos (1). Illi autem ad Justiniani aetatem, ut ex ante dictis patet, numero et auctoritate majore, quam vulgo existimatur, in Palaestinâ valebant, et cladibus quidem et Legibus, tunc in primis et deinde, fracti, minime tamen exstincti sunt. Ab eo inde tempore haud pauci, Cultui suo adhaerentes, in *Palaestinâ* superfuisse, at permulti, ac multo plures, quam ante, in *urbibus exteris* vixisse, atque *hi* cum *illis* commercia habuisse videntur perpetua. His profugis et exsulibus, rebus sedatis, in Patriam revertentibus, *illorum* numerus rursus increverit, sed de tumultibus, a Samaritanis renovatis, nullus amplius sermo fit, quibus excitandis postea ii item impares fuerint. Quid enim Samaritani egerint, sive anno 610 aut 609, quum Phocas *Judaeos* ad Baptismum recipiendum cogebat, et hi, Persis faventes, Antiochiae et Alexandriae seditionem movebant (2); sive anno 614, quum Persae, regnante Heraclio, Syriam et Palaestinam, et ipsa Hiërosolyma capiebant, et ad annum 628 tenebant (3), ignoramus. Verisimile est, Samaritanos, Romanos detestantes, aliorum dominationem, quae vindictae a Christianis sumendae copiam ipsis praeberet, non aegre tulisse, ac similiter Arabum progressus, quia, hi Christianorum in Palaestinâ principatui finem imponebant, iisdem non ingratos fuisse.

---

Post conditum autem Islamismum, Samaritani rarius, quam antea, in Gentium Annalibus obvii sunt: in *Orientalium* tamen, quorum supra nonnulla attulimus testimonia, frequentius, quam in *Occidentalium* Scriptis. Ac revera ob imminutam auctoritatem, et exiguum numerum, qui in dies magis decrevit, Genti samaritanae deinde *Sectae* potius, quam *Populi* nomen convenit. Et haec Secta in posterum magis magisque in nihilum fere redacta est. Multi a novis incolis, quibus Palaestina deinceps frequentabatur, pellebantur. Superstites in mediis publicis Palaestinae calamitatibus, partim peribant, partim Religio-

(1) Ejus rei v. c. indicia sint cognomina, quae a partibus Circi superioribus, Justiniano regnante, partibus inferioribus tribuebantur. Has nempe illae *Samaritarum Judaeorum*, *Manichaeorum*, nominibus insigniebant. De earum partium contentione vid. Procop. *de Bello persico* I, c. 24, Tom. I, p. 119 seqq., et *Chron. pasch.* I, p. 621 seqq. Nihilominus Samaritani eà etiam aetate inter principes in civitate Viros causae suae, ut vidimus, habebant patronos, v. c. *Sergium Episcopum*, *Sylvanum*, ejusque filium, *Arsenium* Comitem. Vid. supra p. 51, not. 4, et p. 162.

(2) Georg. Cedren. I, p. 712; Theoph. I, p. 457; Le Beau XII, p. 132; Robinson *Pal.* II, p. 234, 236 seq.

(3) G. Cedren. I, p. 715; Theoph. I, p. 463; Le Beau ibid., p. 162 seqq., et Jost V, p. 203.

nem tunc vigentem profitebantur, et cum ipsis Moslimis coalescebant. Pauci, sed summâ ii cum tenacitate, Sacris avitis adhaerebant.

Samaritanorum nondum conversorum reliquiae, *Moslimis* subjectae, majore, quam sub Imperatoribus Romanorum christianis, libertate in Cultu suo celebrando usae esse videntur, et idem pro hoc beneficio, et tutelâ, quâ fruebantur, tributum solvisse, quod omnibus imponebatur, qui Mohammedis doctrinam amplecti recusabant. Haec rerum fuit conditio ab expugnatione Syriae et Palaestinae anno 636 (1), ad finem circiter seculi XI. Per hoc temporis spatium Samaritani paruerunt 'Omaijadis, 'Abbāsidis, Fatimidis. Sub his tamen, regnante Hakimo, ii, ut Judaei et Christiani, aliquamdiu durius tractati sunt. Fatimidae, a Selgūqidis deinde pulsi, Palaestinam iterum anno 1094, sed per breve tempus recuperarunt. Hiërosolyma nimirum anno 1099 ab expeditionum sacrarum Sociis expugnata sunt; quo facto Neapolitani, missis eo Legatis, sponte se subjecerunt (2). Tunc tamen, licet Christianorum Cultus confestim restitueretur (3), Samaritanis plura, quam *ante* sub Christianorum principatu, Privilegia concessa esse videntur. Moslimorum saltem Cultus ferebatur, ac mutatis temporibus, Christiani, si suam in Oriente auctoritatem tueri vellent, alias, quam plerique Romani in Oriente Imperatores olim probaverant, in rebus publicis moderandis rationes sequi erant coacti. In Legibus nimirum ferendis, Aula constantinopolitana non *omnium Civium*, neque etiam *omnium Christianorum* rationem ante habebat, sed unam christiani Cultûs, et christianae doctrinae, formam, quae publice ibi erat recepta, spectabat. Moderatius, et vero prudentius, christiani agebant Principes, qui bellorum sacrorum aetate in Oriente vivebant. Christianae Religioni licet prae ceteris faventes, alias hi Religiones, ut Imperatores ante Constantinum ferebant, ac jura eorum, qui ipsas profiterentur, Legibus definire et vindicare studebant.

Samaritanis eo tempore Sacra in Monte Garizīm, et in Altari quidem, ibi posito, peregisse, perhibet BINJAMĪN TUDELENSIS, qui eos seculo duodecimo ipse adiit (4). Quid autem judicandum sit de testimonio SALAMAe, nostro seculo ineunte scribentis, Patres suos a Francis 600 annis ante Asqalone et Caesareâ abductos fuisse (5), prorsus latet.

Per seculi circiter spatium Samaritani sub Christianorum dominio vivebant. Tristis primum hocce tempore Palaestinae erat conditio, de quâ emendandâ Clerici et Nobiles Neapoli anno 1120 inter se deliberabant (6). Hujus urbis incolae hac aetate hostium

(1) ABŪ'L-FAD. *Ann. Mosl.* I, p. 226, 228,
(2) WILLERM. TYRIUS p. 197 seq. ed. Basil. *Neapolin* hic *urbem* nuncupat *opulentem*.
(3) De Episcopi neapolitani ditione vid. ROBINSON *Pal.* III, p. 351 seq.
(4) BINJ. TUDEL. p. 38 seq. ed. CONST. L'EMPEREUR L. B. 1633. Mortuus est BINJ. anno 1173.
(5) Vid. DE SACY *Notic. et Extr.* XII, p. 78.
(6) ROBINSON l. l., III, p. 351.

invadentium saevitiam aliquoties experti sunt; anno v. c. 1113 (1), et 1137 (2), in primis vero anno 1184, quum a Salaho'*d*-dîno diripiebantur (3). Tunc tamen ea urbs in Christianorum potestate mansit. Nam anno 1186 Raymundus ad lites ibi ortas componendas, Neapoli conventum habuit (4). Verum post proelium hittînense, die 4° mensis Julii anni 1187 commissum, quo Salaho'*d*-dînus splendidam de Christianis victoriam reportavit, et *horum* in Oriente principatui grave vulnus infligebatur, Neapolis cum Palaestinâ universâ, exceptis Hiërosolymis et Tyro, sub Moslimorum imperium iterum redigebatur, ac Neapolis ejusque suburbia hac opportunitate per copiarum victricium petulantiam magnam partem devastabantur (5). Anno 1242 Christiani rursus ibi regnabant, sed biennio post denuo pellebantur (6). Mogoli deinde, anno circiter 1259 Neapolin capiunt, et incendio delent (7); mox, anno 1283 eam restitutam vidit Brocardus (8). Tunc Palaestina subjecta erat Sultanis Mamlûcis Aegypti, ex quibus eo tempore regnabat Successor Bibarsi al-Bondûqdâri, Kelâûn, qui, titulo assumto Al-Malec al-Mançûr Saifo'*d*-dîn, praeter Aegyptum, Syriam item universam tenebat. Hic justitiam aequitatemque colens, Judaeis et Christianis suam Religionem profiteri permittebat, ac suam Legibus vim restituebat (9).

Non multo post, anno 1336, per Palaestinam iter fecit Guilielmus de Baldensel (10). Hic de Samaritanis verbo loquitur, Deum suâ ratione, ac ritibus, qui a ritu, Judaeis, Ethnicis, Moslimis et Christianis recepto, diversi essent, colentibus, ac caput, quod Christiani *flavâ*, Judaei *viridi*, Moslimi *albâ* tiarâ ornabant, *rubrâ* tegentibus (11). Hanc, teste Robinsono (12), hodieque gerunt.

Turcis Otsmanidis Samaritani paruerunt ab anno 1517, quo illi Palaestinam occupabant. De numero ipsorum in Palaestinâ, Syriâ, et Aegypto, tunc in dies magis decrescente supra (p. 44 seqq.) locuti sumus; quae res causa fuit, ut eorum conditio *ante* sub Otsmanidis lautior, quam *hodie* fuerit: quod, ut haec ante dictis addam, etiam conspicuum est ex testimonio Petri della Valle, medio circiter seculo XVII°, eorum *Synagogas* de-

---

(1) Robinson l. l. (2) N. G. v. Kampen, *Proeve eener Gesch. der Kruistogten*. I. p. 391.

(3) Bahâod-dîn in *Vitâ Saladini*. p. 59 ed. Schult.; van Kampen l. l., II, p. 318; Robinson l. l., p. 352.

(4) Robinson l. l. (5) Bahâod-dîn l. l., p. 71; van Kampen l. l., p. 345 seq., Robinson l. l.

(6) Robinson l. l. (7) van Kampen l. l., IV. p 132.

(8) v. Raumer *Palaest.* p. 162 ed. 2ae; van Hamesveld *Aardrijkskunde des Bijbels* II, p. 369.

(9) van Kampen l. l. IV, p. 188. (10) Robinson l. l. I, p. XXIII.

(11) Basnage l. l. I, p. 226. Anno 1301 *tiarae* eorum colorum Lege mandatae sunt. Vid. Quatremère *Hist. des Sultans Mamluks*, Tom. IV. p. 177, qui, Al-Maqrizium secutus, Christianis tribuit tiaras *coeruleas*, ac Judaeis *flavas*, et plura addidit Decreta, quibus eorum, qui Islamismum non profitebantur, auctoritas et libertas infringebantur.

(12) Robinson l. l. III, p. 325.

scribentis, *extra Nabolosum inter hortos amoenissimos positas, quae viles quidem extrinsecus appareant, intus autem picturis et auro haud indecore ornatas, variisque inscriptionibus Linguâ samaritanâ insignitas* (1).

De vicissitudinibus sub Otsmanidarum principatu pauca ceterum notatu digna sunt. Anno 1759 die 30° Octobris, Neapolis vehementi terrae motu afflicta (2), et anno 1771 post gravem obsidionem, fame demum ad deditionem coacta est. Tunc expugnabatur ab Aegyptiis, quorum Praefectus *Ălī Bey*, Otsmanidarum jugo excusso, Arabiam sibi subjecerat, deinde vero Palaestinam occupare volebat. Regnum nimirum aegyptium restituere, idque, dictis terris tenendis, tueri, et pristinam Aegypti felicitatem restaurare sibi proposuerat (3). Quod *ei* non cessit, nostrâ aetate denuo tentavit *Mehemet Ălī*, cujus Filius *Ibrahīm* Palaestinam anno 1832 eodem consilio occupavit; quam tamen per octo annos tantum tenuit. Anno nempe 1840 Angli et Austrii, pulsis Aegyptiis, Turcarum principatum in Palaestinâ restituerunt.

Hodierna Ṣamaritanorum conditio misera est. ROBINSONUS anno 1838 per Neapolin iter faciens, sic illam descripsit (4). Numerus, inquit, ipsorum 150 hominum numerum non excedit (p. 327, 335). Hi, si unum excipis Ăbdo'*s*-sāmarī*um*, opibus ingeniique facultatibus aliis praecellentem, ac principem etiam Virum, non fortunati quidem sunt, sed minime tamen pauperes, vel egeni (p. 327). Sacerdos, sexagenarius, ut videtur, Vir est venerandus, nec mentis dotibus destitutus, tunicâ rubrâ sericâ indutus. Hujus, caput *albâ* tiarâ tegitur; ceteri, ut vidimus, *rubram* habent, cum vestitu, a vulgari Palaestinensium vestitu non diverso. Si cum aliis, et cum suis etiam sociis colloquuntur, arabicâ utuntur Linguâ (p. 325). Vicum ii incolunt, Monte sacro adjacentem, ibique eorum est Synagoga, dicta *al-canīsa* (الكنيسة), in quam *discalceati* intrant. Parvum est conclave, concameratum. A sinistro januae latere est armarium Codicibus deponendis (p. 326). Hanc Synagogam die Saturni, ut precentur, ter adeunt; mane, meridie, vesperâ: porro diebus festis, Festis nempe majoribus, et Noviluniis. His diebus, non vero Sabbatho, sectio Pentateuchi publice praelegitur. Quater praeterea quotannis cuncti, agmine facto, Pentateuchum legentes, in Montem adscendunt: primum Festo Pa-

---

(1) Haec verba leguntur in *Vitâ* MORINI, quae praefixa est *Antiqq. Eccl. Or.* p. 21. *Jaffae*, ubi anno 1808 CORANCEZ*IUS* (vid. p. 46) *aliquot* Samaritanorum *familias* vidit, J. D. ÅKERBLAD*IUS* plures anno 1788 item invenerat. Vid. VLOTEN*I* *Spec. philol.*, p. 30.

(2) VAN HAMELSVELD l. l., p. 369.

(3) SAVARY *Brieven over Egypte* II, p. 245 seqq. (Epist. 16), ubi p. 274 de *obsidione neapolitanâ* sermo fit. Cum SAVARY*I* dictis conf. relatio VOLNEY*I*, *Voyage en Egypte et en Syrie*, Paris 1823. ed. 6. p. 111 seqq.

(4) l. l., III. p. 315 seqq.

schatis, quum sole cadente septem agnos sacrificant, et sub tentoriis, in Monte positis, totam noctem transigunt; deinde die Pentecostis; porro Festo Tabernaculorum, quâ occasione tuguria etiam construunt, et in his degunt; denique die Expiationis (p. 327 seq. et 319). Sacra in eo Monte peragere anno 1810 iis non licebat. In Epistolâ, tunc in Galliam missâ, Samaritani perhibent, ea sibi per 25 annos interdicta fuisse. Ex alterâ vero Epistolâ anni 1820 veniam *ibi* ea celebrandi eo tempore ipsis datam esse, apparet. De sepulcris tandem, quorum magna olim iis erat veneratio, ROBINSONO nunc minus solliciti esse videbantur.

## ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 45 lin. 20 pro (1589—95) leg. (1589—90).

» 45 » 23 » Postea vero inde mittebatur *liber Josuae.* leg., tum etiam, ut videtur, *Liber Josuae.*

» 49 not. 1 » *amnia* leg. *omnia.*

» 88 lin. 8 » מֵעָלָיו leg. מַעָלָיו.

» 102 » 23 » *ῥαμαδέμ* leg. *ῥαμαθέμ.*

» » » 25 » *βηθῆλά τε* leg. *βηθῆλά τε.*

» 103 » 12 » Hiëronymu leg. Hiëronymus.

» 130 not. 2ae addatur: De seditione Judaeorum in Cyrenaïcâ, Trajano regnante agitatâ; vid. etiam Dr. S. J. Mulder *Verspreide Lettervruchten*, Leyd. 1844. 8°, p. 127 seqq.

» 146 lin. 17 pro *Eudoxiâ* leg. *Eudociâ.*

» 150 » 25 » gavisi sint leg. gavisae sint.

» 153 » 4 » nicaeno leg. niceno.

Alia B. L. emendet.



